PETRI MORETTI

Canonici S. MARIÆ Trans-Tyberim

PARERGON

AD LUCUBRATIONEM SUAM

DE RITU DANDI PRESBYTERIUM &c.

SIVE

De Festo in honorem PRINCIPIS APOSTOLORUM
Romæ ad diem XXV. Aprilis
instituto

ENARRATIO

Quam sequitur

CATALOGUS

CASTIGANDORUM & SUPPLENDORUM
In eadem Lucubratione &c.

ROMÆ

Ex Typographia Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLII.

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.
F. M. de Rubeis Archiepiscopus Tarsi Vicesgerens.

IMPRIMATUR.
Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sac. Palat. Apost. Magister.

SUMMA ENARRATIONIS.

Num. I. *Opusculi origo*. II. *Ejusdem argumentum, & œconomia*. III. *Festum, de quo disseritur, verè institutum demonstrari ex Missa vetustissima*. IV. *Illud celebrabatur seculo Christi quinto*. V. *Forsan & antiquioribus*. VI. *Excerptum e notis Francisci Blanchini ad vitam S. Petri Anastasianam*. VII. *Aliud excerptum*. VIII. *Et aliud*. IX. *Item aliud*. X. *Excerptum ex illius Annalibus S. Petri*. XI. *De primordiis supremi Pontificatus Romani systema ejusdem authoris*. XII. *Juxta quem objectum Festi nostri esset* Declaratio *a Petro facta de affixo Romæ Primatu sibi a Christo tradito*. XIII. *Juxta alium authorem esset simpliciter* Primatus R. E. *supra ceteras*. XIV. *Loci quidam authoris novissimæ Dissertationis de Romana Cathedra*. XV. *Qui dictum objectum constituere videtur in memoria* fundationis *supremæ Romanæ Cathedræ*. XVI. *Tres præpositas Opiniones in unam coalescere*. XVII. *Die 25. Aprilis* festum Cathedræ *a Paullo IV. restitutum olim celebrabatur ex aliquorum sententia*. XVIII. *Ex aliorum placito* dedicationis *basilicæ Vaticanæ anniversarium*. XIX. *Expenduntur notatæ Opiniones*. *Num festum Dedicationis basilicæ S. Petri diei* 18. *Novemb. sit recentis instituti ?* XX. *Dedicationes ecclesiarum, earumque anniversaria olim acta diebus Dominicis*. XXI. *Institutio Missæ propriæ S. Petri ad diem* 25. *Aprilis, indicium, quod Dedicatio basilicæ tunc minimè celebraretur*. XXII. *Celebrationem istiusmodi non probari per verba* II. *orationis dictæ Missæ*. XXIII. *Neque per titulum hujusce marginalem*. XXIV. Dedicare *idem ac* celebrare. XXV. *Propterea vox* dedicatio *aptari solita cuicumque* celebritati. XXVI. *Incertum, an synaxarium productum ad probandam præfatam celebrationem loquatur de ecclesia materiali*. XXVII. *Quod si certum, incertum, an de ecclesia S. Petri Urbis*. XXVIII. *Potiùs loquitur de aliqua ecclesia Græcanicæ ditionis*. XXIX. *De veteri festo Cathedræ Romanæ quid senserit Paullus IV*. XXX. *Quid Menardus*. XXXI. *Tillemontius*. XXXII. *Sollerius*. XXXIII. *Et Apologistes Ven. Card. Thomasii*. XXXIV. *Ostenditur, festum diei* 25. *Aprilis intelligi non posse necessariò de Festo Cathedræ per Paullum IV. restituto*. XXXV. *Memoriam traditi Petro Primatus recoli die* 18. *Januarii juxta Baronium*. XXXVI. *Vel* 22. *Februarii juxta authores Breviarii Lugdunensis*. XXXVII. *Ac Mabillonium*. XXXVIII. *Cui suffragatur œconomia divinor. Officior. Ecclesiæ Gallicanæ*. XXXIX. *A qua non discordabat Liturgia Romana*. XL. *Nonnullis persuasum, a die obitus S. Petri re-*

repetendam certam Romanæ Cathedræ fundationem. XLI. *Id quod probari potest authoritate Romanor. Pontiff. aliorumque Patrum.* XLII. *Num constet, S. Petrum suum in Patriarchatu Antiocheno successorem Roma ablegasse?* XLIII. *Per ejusmodi ablegationem, similesque actus non satis exprimi affixionem, & fundationem Primatus, Cathedræque supremæ.* XLIV. *Litania* major, *qualis nunc, posterior est institutione Festi nostri.* XLV. *Et illius indoles ab hujus indole summè diversa.* XLVI. *Definitur, dubitandum de veritate notatarum superiùs Opinionum circa objectum Festi nostri.* XLVII. *Regula ad internoscendum initium cujusvis Pontificatus Romanor. veterum Antistitum.* XLVIII. *Ea duce stabilitur, Romanum Petri Pontificatum cœpisse die 25. Aprilis.* XLIX. *Nempe qua primùm ille Urbem ingressus est.* L. *Hinc conjici, objectum Festi, quod discutimus, esse* memoriam *talis* Adventus. *Hæc nostra opinio.* LI. *Quæ confirmatur ex titulo marginali pluries allegatæ Missæ.* LII. *Varia, quæ huic opinioni opponi possent.* LIII. *Baronius non sensit Adventum Petri accidisse die* 18. *Januarii.* LIV. *Et nullus veterum tradidit accidisse hoc mense.* LV. *Sed neque Paullus IV. in Constitutione de festo Cathedræ.* LVI. *Die* 18. *Januarii* incathedrationem *Romanam S. Petri secundùm Eckium & Baronium celebrari.* LVII. *Secundùm Papebrokium* dedicationem ligneæ *Romanæ* Cathedræ. LVIII. *A Baronio, & Eckio nihil non probabile assertum.* LIX. *Uti etiam a continuatore Bollandi.* LX. *Opinio, quæ objectum nostri Festi vult esse* Primatus, *&* Cathedræ *memoriam, aliquomodo conciliari potest cum nostra.* LXI. *Forsan & illa, quæ vult esse* Dedicationem basilicæ *Vaticanæ.* LXII. *Quando institutum festum nostrum, verisimiliter agebatur publica, maximaque pompa.* LXIII. *At minùs sollemni circa tempora S. Gelasii PP.* LXIV. *Sub eodem Pontifice fortassis ejus publica celebratio suppressa.* LXV. *An redintegrata sub magno Gregorio?* LXVI *Redintegrationis varia indicia.* LXVII. *Dies, & meta litaniæ majoris stabilita a S. Gregorio intuitu hujusce redintegrationis.* LXVIII. *Quare nulla de Festo nostro Missa in Sacramentario Gregoriano?* LXIX. *Post magnum Gregorium paullatim obscurari cœpisse memoriam Festi. Quibus caussis?* LXX. *Num ejusdem vestigium aliquod sit ætate nostra?* LXXI. *Epilogus.*

ENAR-



ENARRATIO.

VIx in publicum (1) prodierat mea *de Ritu dandi presbyterium* &c. Lucubratio, quum, excitante non paucos Eruditos Dissertatione Historico-ecclesiastico-pontificia(2)habita in palatio Apostolico Quirinali, feria fervidaque mota est controversia circa *Festum B.Petri*, quod institutum Romæ quondam ad VII. Kal. Majas nonnulli traderent. De illo ego par. II. dicti Operis sect. III. opinione, formulisque potissimè dicendi usus Authoris sequenti num. III. laudandi, ad confirmandam, urgendamque tractatorum ibidem summam tantummodo nonnihil scripseram, hoc est, obiter, ac minùs (quod ajunt) principaliter, adeoque non prorsus dilucidè, & fortassis in aliquo non satis probabiliter. Hinc verò mirum, quàm importuna congerronum quorundam in me querela! Reus postulor omissionis insignis, quòd neglexerim scriptiuncu-

I. Opusculi origo.

(1) Prodiit Quintili mense anni(dum hæc scribimus) nondum elapsi MDCCXLI.

(2) VII. Idus mensis Sextilis habita est a Viro splendore generis, & Majorum fama non minùs, quàm eloquentia, eruditione, ac Dignitate sua illustrissimo hæc Dissertatio, in qua discussa sunt brevissimè capita proposita ad paginam 42. libelli sub titulo: *Notizie dell' Accademie erette in Roma per ordine della Santità di N.S. PP. Benedetto XIV.* impressi anno MDCCXL. typis Josephi Collini.

culam quampiam Festum illud meliori in lumine collocaturam iis assuere, quibus alia levioris etiam momenti illustrare curaveram, ac sub *Appendicum* titulo Lucubrationi conjunxeram. Quasi præscius ipse esse deberem futurorum, vel, quæcumque in argumenti principalis sive robur, sive ornamentum toto volumine attuleram, singulari libello per me fusè propugnanda fuissent, aut illustranda. Verumenimvero tantumne hoc malum, ut nulla ratione expiari, & sarciri queat? Non ita, si Deo placet. Quod præstitum antea voluissent Viri mihi ceterò pro eorum in me benevolentia, ac humanitate gratissimi, jam brevis ENARRATIO præstabit integrum.

II. *Ejusdem argumentũ, & œconomia.*

Igitur hic mihi propositum, consiliumque est, ea ferme methodo, qua notitiam de *Schola Crucis*, aliisque protuli ad calcem Lucubrationis, explicare, quid, re maturiùs librata, judicem sentiendum de *Festo in honorem Principis Apostolorum Romæ ad diem* XXV. *Aprilis instituto*. Quod ut exequar ordinatè, quatuor perscrutanda, ac definienda mihi esse perspicio. I. Verene Festum illud Romæ fuerit unquam institutum? II. Si hoc fortè constiterit, quando institutum? III. Quæ ejus conditio, sive (uti vocant) objectum? IV. Quis celebrationis ejusdem ritus, successusque? Ad primum.

III. *Festum, de quo disseritur, verè institutum demõstrari ex Missa vetustissima.*

In quo tamen explicando parum laborabimus. Habemus enim non conjectaneam demonstrationem tantùm præstantissimi Præsulis Francisci Blanchini, qui primus omnium in notato die decus hocce suboluit, eamque exposuit anno MDCCXXIII. to. II. collectionis Vitarum Romanorum Pontificum Vaticanæ Anastasii in notis ad vitam S. Petri; sed argumentum invictum apud vetustissimum codicem Sacramentorum Veronæ postmodum repertum, editumque curis V. Cl. Patris Josephi Blanchini laudati Francisci nepotis pro secundo Opusculo in Prolegomenis ad quartum tomum dictæ collectionis anno MDCCXXXV., argumentum, inquam, quo probetur, agi certò solitam fuisse quondam ea die Romæ sollemnitatem B. Petri. Profectò futurum arbitror neminem tam bardum, cui non id exploratum fuerit, ubi legerit in pretioso illo venerandæ antiquitatis monumento Missam inter alias mensis Aprilis conclusam: ultimam ex propriis Sanctorum ejusdem: & descriptam proximè post missam S. Georgii (1) Martyris, quod jux-

(1) Textus codicis habet *Gregorii*; sed omnino legendum *Georgii*, quemadmodum

juxta communiorem priscarum e liturgicis chartis, sicuti nunc, vigesima tertia, vel juxta aliquot (præsertim Antiphonarii Gregoriani in antiquis libris missarum Thomasianis vulgati par. I. pag. 180.) testificationem, vigesima quarta die Aprilis celebrabatur. Ejusmodi verò Missa non dubiè legitur ibi, signata num. XXXIV. ad pag. XVI. iisque expressa verbis, quæ, licèt recusa in cit. Lucubrat. pag. 120., quum ad pleraque dicendorum promptiùs intelligenda conducant, repetenda hìc veniunt.

Deus, qui Beati Petri Apostoli dignitatem ubique facis esse gloriosam; quæsumus, ut & doctrina semper ipsius foveamur & meritis. Per. IN DEDICATIONE.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias, quas majestati tuæ in honorem Beati Apostoli Petri, cui hæc est basilica sacrata, deferimus, & ejus precibus nos tuere. Per.

Verè dignum, qui & in omni loco dominationis tuæ Beati Petri Apostoli magnificas potestatem, non solùm ubi venerabiles ejus reliquiæ conquiescunt; sed, ubicumque pretiosa reverentia fuerit invocata, tribuis esse præstantem; ut nunc etiam perseverare demonstres, quod in omnem terram sonus ejus exeat, & toto Orbe salutaria verba decurrant. Per.

Benedicimus, Domine, misericordias tuas, qui nos incessabiliter Beati Apostoli tui Petri finis commemoratione foveri; suppliciter exorantes, ut, cujus solemnia gerimus, patrocinia sentiamus. Per.

IV. Illud celebratur seculo Christi quinto.

Quamobrem verè Festum, de quo inquirimus, Romæ institutum. At quando? Hoc utique, si ipsum institutionis momentum sciri velit, designari non potest. Fortasse certum sit, quod nondum illud fuerit institutum, quum post medium quarti seculi Æræ christianæ, sive Liberio summo Pontifice regnante, scriberetur editum primò ab Ægidio Bucherio, dein ab aliis, præcipuè Theodorico Ruinartio in calce collectionis Actorum MM. Romanum Kalendarium, quo nulla memoratur Festivitas VII. Kal. Majas. Neque enim sileretur nostræ, si jam celebrari consueta fuisset, uti sanè memoria non siletur aliarum sollemnitatum B. Petri, puta, *Cathedræ*, & *Na-*

dum notavit Editor rerum ecclesiasticarum peritissimus tum ad oram loci, tum in *indice* præfati *codicis* pag. LVIII. citatorum Prolegomenon. Aliàs nullum, neque vetustum, neque recens hagiologium, aut liturgicum volumen *Gregorii* cujuspiam martyris meminit ad 23. aut 24. Aprilis.

Natalis, de quibus illic: VIII. *Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra*: III. *Kal. Jul. Petri in Catacumbas*, *& Pauli in Ostiense* &c. Certum quidem præfidenter dici valet, quod ante occasum seculi quinti celebrabatur in Ecclesia Romana. Id autem demonstrat ætas, qua compactum est Sacramentarium, tam grave de illo testimonium, quod produximus, præbens. Compactum verò credunt Docti aut per S. Leonem Magnum, qui catholico præfuit ovili ab anno CCCCXL. ad CCCCLXI. aut per S. Gelasium, qui ab anno CCCCXCII. ad CCCCXCVI. Videsis titulum ei tributum ab editore clarissimo, & eruditas Cajetani Mariæ Merati observationes, additionesque ad Opus rituale Gavanti to. I. par. I. pag. 8. col. 2. & pag. 51. col. 2. edit. Vaticanæ.

V. Forsan & antiquioribus.

Duo hæc circa tempus institutionis affirmo, ex quibus admodum rationabiliter infertur, stabiliturque, Festum nostrum celebrari cœpisse intra spatium temporis, quod a Liberiano ad Gelasianum pontificatum effluxit. Ita sentiendum judico, quousque ad hanc ecclesiasticæ Romanæ antiquitatis particulam magis illustrandam accedat nova lux, cujus beneficio deprehendam, etiam ante Liberium eo Petrum honoratum obsequio, mutilumque declarandum esse hac ex parte Bucherii Kalendarium. Porrò evenire id posse censeo, potissimè ubi meditor objectum, seu conditionem Festi. Nam talis illud esse indolis existimo, ut ad institutionem sui vel ipsos sollicitare quiverit summos Antistites primi seculi.

VI. Excerptum e notis Francisci Blanchini ad vitã S. Petri Anastasianam.

Sed quæ conditio isthæc? Paullisper sustine, Lector. Non hoc tam facilè properèque enarrandum. De re siquidem agitur, pro qua magnam factam video contentionem dissensionemque inter fratres. Priùs hinc opiniones, ac rationes horum, si quæ soleant afferri, significandæ, librandæque. Ac mihi se se ingerit confestim cum momentis suis opinio Francisci Blanchini, quam tamen exponere non ausim, nisi post expositum ejusdem systema de initiis supremi Romani Pontificatus eruendum ex nonnullis laudatarum superiùs notarum locis. Ille igitur pag. 8. & 9. cit. to. II. Anastasii ait, contigisse *a die* 28. *Martii Dominica* (resurrectionis) *ad diem* VI. *Maji* (qua Christus est elevatus in Cœlum) decem secundùm Patres, & Interpretes recensitas in sacris literis apparitiones, *quarum in septima* (verba illustrissimi viri) *apud Capharnaum Pontificis Maximi munus*, *seu Ecclesiæ universalis regimen*, *&* *Epi-*

Episcopatum, antea promissum, Christus Dñus Petro contulit dicens: Pasce oves meas: ut ex epistola 37. *lib.* VI. *magni Gregorii, aliisque Patribus confirmatur. Gesta sunt hæc duobus Geminis Coss. Ab his proximi Coss. Victricius, & Longinus Kalendis Januarii anni* 29. *Magistratum inierunt, dum Petrus nonum mensem sui regiminis inchoaret. Primus igitur annus completur circa finem mensis Aprilis, iisdem Coss. Æræ Christi communis anno* 29. &c.

VII. Aliud excerptum.

Inferiùs firmat Blanchinus, venisse Romam Petrum, suamque ibi fundasse Cathedram die XVIII. Januarii. Postea inquit. *Superest, ut inquiramus, quid commune habeat cum exordio Pontificatus Romani ab Apostolorum Principe suscepti dies* 25. *Aprilis anni* (Æræ christianæ) 40. *ex qua desumitur epocha annorum* 25.*mensium* 2. *& dierum* 3. *eidem assignata usque ad triumphalem martyrii sui diem* 29. *Junii, ita numeranda, si sequamur catalogum Felicis IV. vel dies* 21. *Aprilis ejusdem anni* 40. *ex qua ad* 29. *Junii anni* 65. *Nerone, & Vestino Coss. intercipiuntur anni* 25. *menses* 2. *& dies* 7. *numerati in picturis vetustissimis basilicæ patriarchalis* (S. Paulli) *& in catalogis probatioribus. Porrò cùm videam indictam fuisse die* 25. *Aprilis litaniam, quam vocant majorem, non modò ante Gregorium Magnum, sed pluribus ante ipsum ætatibus, ac ferme ab Ecclesiæ incunabulis, in qua Tituli universi, & Diaconiæ, ipsæque Basilicæ ex ævo Constantiniano collectam Cleri, ac populi in campo Martio olim in Titulo S.Laurentii in Lucina, nunc in S. Marci, frequentantes, inde procedunt ad S. Petrum; judicavi, per eos dies recoli jam tum consuevisse Romanæ Sedis super ceteras Primatum, ab ipso Apostolorum Principe constitutum. Quod enim die* 18. *Januarii festum Cathedræ a Beda, aliisque consignatum suaserit Paulum IV. ut . . . restituerit ad* XV. *Kal. Februarii veterem epocham fundatæ in Urbe Cathedræ Petri, id nihil impedit, quominus intelligamus, ea die fundatum Episcopatum, aliquanto verò post, hoc est mense Aprili, sive ejusdem anni* (primi adventus Petri ad Urbem) *sive consequentium, huic Episcopali Sedi Primatum supra ceteras fuisse additum, postquam in proximis civitatibus prædicato Euangelio, fundatis Ecclesiis, & ordinatis Episcopis, coaluerat systema quoddam hierarchicum, specie sua satis commodum judicatum ad dignitatem Sedis omnium Principis ministerio, & subjectione sua declarandam, & confovendam. Nicænæ Synodi canon sextus . . . satis docet, quantum*

tum explicet dignitatis Patriarchalis mos ille vetus, quo plures Episcopi Romano aderant tum ad perficienda mysteria, tum ad repræsentandam totius Ecclesiæ corporis juncturam sub uno Capite. Ordinata igitur processio fuit, ut, Cathedra pontificali primùm erecta, deinde adjunctis gradatim partibus, & præparatis adjutoribus suæ potestatis, maxima authoritas in ejus Episcopum conferretur; ut etiam Patriarcharum ablegandorum facultas a Petro exerceretur, derivanda postmodum in successores. Probat inde Blanchinus, Marcum cum Euangelio a Petro Roma missum Alexandriam, & Antiochiam Euodium, ut illius *Ecclesiæ regimen sibi jam Romæ Episcopo concreditum administraret.*

VIII. Et aliud. Addit post hæc, confirmatum ex iis videri sibi *progressum illum a sapiente Architecto Petro servatum in hac Romana Sede primùm fundanda, deinde augenda, tum elevanda ad tantam supra ceteras dignitatem, ut duarum Sedium primos Antistites hìc ordinaret, & hinc dimitteret: indicium exhibens sui Primatus, quem conventu omnium Titulorum Clerus Romanæ urbis (Ecclesiam referentis) quotannis recolit etiam in litania majori die 25. Aprilis.*

IX. Item aliud. Pergit continenter. *Cur autem ea dies obtigerit, sic declarandum puto.* Deinde ex Ordine Romano per anni circulum meminit, ita distributas ecclesiasticas sollemnitates, *ut quamproximè* (sequitur textus Blanchinianus) *responderent tempori a Christo Domino ad ea peragenda delecto, quorum mysteria iis in festis* (Ecclesia) *proponit recolenda. Missio igitur Apostolorum paschali tempore peracta inter Resurrectionem, & Ascensionem, & collata Petro potestas maximi Sacerdotii, atque ovium universarum cura concredita, pertinent ad eos dies, qui paschale festum proximè excipiunt, nec diffunduntur ultra Ascensionem. Licèt autem Pascha sit mobile; attamen ultra* XXV. *Aprilis non protrahitur: neque Ascensionis festum, quando citimum fuerit, ante Aprilis diem trigesimam unquam incidit. Postrema igitur hebdomada mensis Aprilis, a 25. die putata, nunquam non erit pars quadragenarii dierum numeri, cui institutio Pontificatus maximi novæ legis a Christo Dño in Cælum profecturo alligata fuit. Causa igitur subest, cur addatur diei 25. Aprilis Epocha maximi Pontificatus tum instituti a Cristo Domino, tum a Petro ad Romanam Sedem translati, annorumque inde putandorum maximi Sacerdotii per Principem Apostolorum Romana in Cathedra gesti ex ea die 25. Aprilis anni* (Æræ chri-

christianæ) 40. *ad diem 29. Junii anni 65. qua martyrium complevit, ut summa sit annorum 25. mensium 2. ac dierum trium, quod habet catalogus Felicis IV. Nec valde moror differentiam quatridui, qua catalogus Liberianus, necnon plerique supra recensiti pag.* LXXXVII. *cum vetustissimis picturis basilicæ S. Pauli exordium Æræ constituunt die 21. Aprilis, inde censentes ad martyrium annos 25. menses 2. dies 7. Nam & ipsa Æra Nativitatis, quæ seriùs inducta per Dionysium Exiguum consensu deinde publico recepta est, octiduo differtur post festum Dominicæ nativitatis ex die 25. Decembris ad proximas Kalendas Januarii, ut cum anni civilis exordio apud Romanos constituto paria faciat. Præter Epocham anni Juliani ex Kalendis Januarii vigebat apud Romanos Æra non minùs celebris, & in publicis monumentis consignata, atque alligata diei 21. Aprilis: nempe Æra annorum Urbis conditæ in Parilibus. Hanc in fastis Capitolinis marmoreis servatam conspicimus, non secus ac in fastis sacerdotalibus Fratrum Arvalium marmore pariter insculptis . . . Pari ergo jure Epocha sacerdotalis Petri a catalogo Liberiano, & a plerisque memoratis, necnon a picturis Basilicarum ævi Leonis Magni inchoatur ex die Parilium 21. Aprilis, licèt sollemnitas supplicationis publicæ, & collectæ ad S. Petrum in Litania majore quatriduo post referat memoriam ejus maximæ dignitatis, ut proinde tribuatur Petro in Cathedra Romana ex Parilibus anni Æræ communis quadragesimi, quo Romæ primùm sedit, nempe ex 21. Aprilis ad diem 29. Junii suo martyrio consecratum anno 65. Æræ vulgaris, Nerva, & Vespasiano Coss., tribuatur, inquam, summa annorum* XXV. *mensium* II. *ac dierum* VII. *qui solidi intra utrumque terminum intercedunt; sive* VIII. *dierum, ut habent Bergomensis codex* c, *ac tres Colbertini* h k m *utrumque terminum fortasse includentes.*

Hactenus in notis chronologicis Blanchinus, qui post historicas contexens pagina 17. annales Pontificatus Petri scribit. *Petrus Apostolus circa initium anni* (quo Consulatum gessit Cajus Cæsar IV. & Sentius Saturninus) *in Urbem veniens Romanam Ecclesiam fundat. Ex paschali verò mense, quo complebatur ejusdem summi Pontificatus annus duodecimus, aperitur initium Epochæ Pontificatus Romana in Sede exercendi. Epocha paschalis anni sacri, more Orientalium, & Judæorum, cùm incideret in mensem Aprilis, & in diem Aprilis 21. incurreret Epocha annorum Urbis conditæ Romæ usur-*

X. Excerptum ex illius annalibus S. Petri.

*usurpata ex Parilibus, & Claudii ætate ita consignata etiam in fastis sacerdotalibus Ethnicorum apud Gruterum fol.*CCC. *Romani alligarunt eidem termino initium Pontificatus maximi a Petro in Urbem cum Sede translati: unde ad martyrium Petri 29. Junii, anni 65. Æra Christi communis rectè numerantur anni* XXV. *menses* II. *dies* VII. *Ætate autem Constantini Magni, qua Paschatis christiani ratio constituta est, cùm terminus paschalis ultimus caderet in diem* XXV. *Aprilis, ea die placuit institui litaniam majorem, & publicum processum omnium Ordinum ad S. Petrum. Quare ad hanc diem referentes aliqui auctores annum paschalem, & pontificium, numerant ex ea die ad diem* XXIX. *Junii anni 65. annos* XXV. *menses* II. *dies* III.

XI. De primordiis supremi Pontificatus Romani systema ejusdē authoris.

Jam ex his (aliàs paullulum involutè contextis) sequens systema, ut videtur, exsurgit. Christus Dominus eo quadraginta dierum spatio, quod a Resurrectione fluxit ad mirabilem Ascensionem suam, circa occasum mensis Aprilis Primatum, promissumve supremum Ecclesiæ regimen Petro contulit. Petrus initio anni Consulatus quarti Caji Cæsaris &c., sive duodevigesima die Januarii, qua Romanæ Cathedræ festum agitur, venit ad Urbem, hujusque fundavit Episcopatum. Cui postea gradum addidit, assignata diœcesi, ordinatisque Romano Patriarchæ perpetuò ministraturis Episcopis, &, quod splendidius, ad alios Patriarchatus gubernandos vice sua Marco, & Euodio ablegatis. Per hæc verò (maximè per ablegationem) declaratum palam a Petro, supremam regendi universalem Ecclesiam potestatem, seu Primatum, secum translatum ab Antiochena peculiari Ecclesia affigi in Romana paullò ante fundata, darique a se initium publicum exercitio ejusdem apud Urbem jugiter in successoribus permansuro. Hæc autem declaratio, illatiove facta est modò memorati anni, vel alicujus e sequentibus mense Aprili, quod eruitur ex instituta multò ante Gregorium Magnum, imò ferme ab ipsis Christianismi incunabulis, aut saltem ab ævo Constantiniano, in litania majore ad diem XXV. dicti mensis memoria tanti beneficii. Tunc enim ad hanc recolendam Principis Apostolorum tumbam petit adhuc Romanus Clerus universam repræsentans (1) Ecclesiam. Electa autem ad hoc ea dies; quia, quum secundùm regulam Ecclesiæ celebrantis memoriam mysteriorum Christi per dies quamproximè respon-

(1) Relege, quæ scripsimus Par. II. Lucubrat. sect. X. §. XI. pag. 184.

ſpondentes temporibus, quibus peracta ſunt, memoria affixi Romæ Primatus celebranda foret die reſpondente ſuæ momento inſtitutionis, non alia inter poſtremas dies menſis Aprilis, quarum una (ut ex dictis colligitur) conceſſum Petro inſigne privilegium duodecim annos ante ſuſpexiſſet, præter vigeſimamquintam, quæ reſpondere aptè poſſet, viſa eſt. Et rationabiliter. Nam illa nunquam non erit pars quadragenarii dierum numeri, cui dicti privilegii inſtitutio fuit alligata. Potuiſſet quidem aut vigeſima ſexta, aut alia uſque ad trigeſimam Aprilis eligi, quæ nunquam pariter extra prænunciatum numerum vagabitur; ſed accidit, ut, quum ratio chriſtiani Paſchatis eſt conſtituta, ætate ſcilicet magni Conſtantini, paſchalis terminus inciderit opportunè in vigeſimamquintam. Propterea, ceteris excluſis, ad ſpectandum progreſſum Cleri, celebraturi memoriam ſplendidiſſimi beneficii, ea ſelecta eſt, non immutanda poſtmodum, quinimo ſuggeſtura variis eccleſiaſticis Scriptoribus, præcipuè authori catalogi Felicis IV., Epochen tranſlati, declarati, affixique Urbi, nedum initi, per Petrum ſupremi Reipublicæ chriſtianæ regiminis, maximive Sacerdotii, præciſiorem (ut ita loquar) illa, quam alia vel probatiora antiqua ſcripta adoptarunt concordem Urbanæ civili Epochæ ad diem XXI. Aprilis ex teſtimonio veterum monumentorum conſignandæ.

XII. Juxta quem objectum Feſti noſtri eſſet declaratio facta a Petro de affixo Romæ *Primatu* ſibi a Chriſto tradito.

En (quantum capio ſapioque) ſyſtema Præſulis doctiſſimi circa initium Romani Pontificatus iis expreſſum, ac probatum rationibus, quæ probent, exprimantque, quid ſit opinatus de celebritate, quam excutimus. Nimirum putavit, diem XXV. Aprilis honori Petri fuiſſe conſecratam ob declarationem haud procul ab eo momento per illum habitam de addicta Romanæ Sedi, & ſucceſſoribus Romanis Pontificibus prærogativa Primatus quondam ſub eo itidem momento ſibi a Chriſto collati. Quod perinde eſt, ac ſi dixero: Primatus Romanæ Sedis ſupra ceteras declarati, conſtitutique memoria, fortaſſe non ſine reſpectu ad primigeniam inſtitutionem, celebrabatur VII. Kal. Majas juxta ſententiam Franciſci Blanchini.

XIII. Juxta alium authore eſſet ſimpliciter *Primatus R. E. ſupra ceteras*.

Idipſum, tametſi contractiùs propoſitum, ſenſiſſe non dubito ſapientiſſimum ejuſdem Nepotem indicantem ſuperiùs tranſcriptam miſſam in indice Miſſarum cit. Veronenſis codicis Sacramentorum per hæc verba: *Item miſſa* XXXIV. *quæ eſt de*

de S. Petro, *nempe*, *ut opinor*, *de Primatu Romanæ Sedis supra ceteras*. Adi paginam LVIII. allegator. Prolegomenon ad tomum IV. Anastasii.

XIV. Loci quidam authoris novissimæ Dissertationis de Romana Cathedra.

Eruditissimus author dissertationis de Cathedra Romana impressæ ibidem pag. 150. & sequentibus, licèt quæstionem consultò, rectâque non pertractet, ita diversis locis loquitur, ut prodat abundè, quid de controverso Festo opinetur. Ad §. XI. pag. 152. col. 2. inquit: *Magnus Pontificiæ chronologiæ assertor Blanchinus invictis adeo rationibus planum fecit, primordia Romanæ Cathedræ a die 25. Aprilis repetenda, ut eamdem rem iterum demonstrare in eodem opere ociosum videatur*. Affirmat inde, quod Epochen illam multò magis comprobasset tantus Chronologus, si vidisset codicem præmemoratum Sacramentorum, *in quo* (pergit) *die 25. Aprilis, non ut in aliis litaniæ majores, incertum valde argumentum, sed integra exhibetur missa Divi Petri, &, ne ullum remaneret dubium, quin principium Romanæ Cathedræ inde sumi debeat, notatur in margine*: In Dedicatione. Addit, se præ gaudio exultasse, quum primùm codicem inspexit: *Nam vidi* (prosequitur) *hoc esse argumentum invictum ad constituenda Romanæ Cathedræ primordia cum catalogo Felicis IV. & tertio Colbertino die 25. Aprilis, qua in omnibus Sacramentariis, & codicibus videbam innui litanias majores, & stationem ad S. Petrum, & mysterium nesciebam*. Ad §. XII. *Non ampliùs dubitandum reor cum Blanchino de primordiis fundatæ Cathedræ Romanæ, sed probabili admodum ratione ab ipsa die 25. Aprilis repeti eadem posse*. Ad §. XIII. *Quod autem attinet ad Festum Romanæ Cathedræ, aut illud celebrandum, aut illud restituendum decreverit Paulus IV. die 18. Januarii . . . id profectò nihil impedit, quominus extra diem fundationis illud celebremus, quemadmodum . . . de Antiochena Cathedra. Hanc siquidem, non quo die Incathedratio facta est Antiochiæ, celebrandam instituerunt Romani Pontifices, sed qua die superstitiosa epularum festivitas a Christianis more gentium colebatur*, &c.

XV. Qui dictū objectum constituere videtur in memoria *fundationis* supremæ Romanæ Cathedræ.

Ita Cl. Cajetanus Cennius per hæc insinuans *primordia*, *principium fundatæ Cathedræ Romanæ*, sive *fundationem* hujusce, etsi festum aliquod Cathedræ celebretur die XVIII. Januarii a fundationis distincta, affigi debere cum Blanchino ad vigesimam quintam Aprilis: elici hoc ex missa Veronensis Sacramentarii, præcipuè ex titulo illius marginali: atque isthinc ape-

aperiri, quare ad eam diem sint institutæ & litaniæ majores, quæ non omnino certum ad sententiam suam probandam argumentum suppeditarint Blanchino, & statio ad S. Petri. Qui autem hæc insinuat, dubio procul ostendit, sentire se, quod VII. Kal. Majas memoriam *fundationis Romanæ Cathedræ* recoli voluerint Patres nostri. Si enim juxta Virum eruditum ex missa illa, præviaque Cleri progressione, ac stationis loco arguitur momentum ejuscemodi fundationis; aliunde verò etiam ineruditi homines sciunt, per missas, processiones prævias, stationesque designari (quod ceterò infra observabitur) splendidiores sollemnitates, consequitur necessariò, ut tali usus genere probationis festum dictæ fundationis ad illud momentum crediderit constituendum.

XVI. Tres præpositas opiniones in unam coalescere.

Quæ opinio tantum differt ab opinione Francisci Blanchini, quantum differre dixi paullò supra clarissimi Nepotis ejusdem sententiam; nempe nihil, quoad rei summam. Nam, quum laudatus Præsul, collocata ad diem XVIII. Januarii, sive circa initium anni, fundatione Romani Episcopatus, *initium Pontificatus maximi a Petro Romam translati*, seu *additi* præfato Episcopatui, sive *declarati Primatus* ejus Sedis *supra ceteras*, celebratum asserit (juxta prolatos textus) VII. Kal. Majas, non aliud asserit, quàm celebratam tunc fundationem Cathedræ Romanæ veluti universam Ecclesiam moderaturæ. Quod utique demonstratum fiet pensitanti, & conferenti cum datis supra excerptis locum ejus Chronologiæ generalis exhibitæ in citatis Prolegomenis ad II. tom. Anastasii, notatum pag. CLXXII. col. 2., quo fundationem indicat duplicis speciei Romanæ Ecclesiæ sequentibus verbis: ROMANÆ SEDIS FUNDATIO. *Petrus in primo adventu suo in Urbem fundat Sedem Episcopatus Romani mense Januario . . . & Paschali tempore annos sui Pontificatus instaurat* XIII. *die* XXV. *Aprilis*. Quum verò Cennius fundationis Romanæ Cathedræ festivitatem ad hanc eamdem diem actam insinuet, & clarè testetur, sectari se Blanchinum in opinione de primordiis fundatæ Cathedræ, manifestum facit festivitatem suam non diversam habendam esse a Blanchiniana initii Pontificatus maximi Romani, sive declarationis, affixionisve Primatus.

XVII. Die 25. Aprilis *festum Cathedræ* à Paullo IV. restitutum olim celebrabatur ex aliquorum sententia.

Festivitas ista *festivitas Romanæ Cathedræ* a me appellata est pag. 120. cit. Lucubrationis. Cave tamen, eam intelligas pro festo Romanæ Cathedræ, quale recolitur ætate nostra. Hoc

Hoc enim cavere videtur Cennius, & cavit apertissimè Franciscus Blanchinus, uti pandunt eorum textus. Aliud interea judicium est aliorum. Offendi quippe censentes, Missam Sacramentarii Veronensis ipsissimum signare festum illud, quod neglectum postea Romæ restauraverit Paullus IV., ac decreverit agendum xv.Kal.Februarii, in hoc morem antiquissimum constantemque variarum exterarum Nationum sequutus. Et quidni? subdunt. Credibilene, celebratam semper, & ubique Cathedram Antiochenam, Romanam nequaquam aliquando Romæ? Quale dedecus Romanorum! Non dubiè festum Cathedræ ad diem xxII. Februarii, quam Antiochenam vocamus, vetustissima tum Kalendaria, & Martyrologia, tum etiam Sacramentaria commemorant, silent Romanæ. Mutila fuerint. Ecce, per Missam mox citati Sacramentarii publico tandem bono reperti supplentur, ac dedecus a capitibus antiquiorum saltem Quiritum propellitur.

XVIII. Ex aliorum placito, *dedicationis basil. Vaticanæ* anniversarium.

Sic non pauci, transferentes Paullinum festum (quod attinet vetustiorem Romanam consuetudinem) ad xxv. Aprilis. Sed ab hac, & præexposita longè diversa arridet opinio turbæ numerosiori (1) Eruditorum. Plurimi namque contendunt, festum nostrum explicandum de antiquiore celebritate *Dedicationis basilicæ* Vaticanæ. Quî autem? Præbe aures. Festum Dedicationis recoli consuetum xIV. Kalendas Decembris recentis videtur institutionis. Siquidem ejus memoria non apparet in Gelasiano Card. Thomasii, Gregoriano, aliisque Sacramentariis, non in Kalendariis, & Martyrologiis antiquissimis per Florentinium, Bollandianos socios, Martenium, & Durandum &c. vulgatis. An interea existimandum, tantæ basilicæ sollemnitatem prætermissam in Urbe, quæ ceterò templorum multò minoris notæ dedicationes celebrabat, veluti S. Mariæ ad Martyres, S. Nicomedis, S. Cyriaci, S.Petri ad Vincula &c.? Et verè non prætermissam dicendum, quam verè celebratam docet lectio sola Missæ pro fundamento Festi nostri productæ. Quorsum enim verba illa secundæ Orationis: *In honorem B. Apostoli Petri, cui hæc est basilica sacrata*? Quorsum ad marginem diligentissimè annotatum: *In Dedicatione*? Talia purè, simpliciter, naturaliter, seu literaliter (ut ajunt) accepta anniversariam dedicationis basilicæ

Prin-

(1) Hanc sententiam fuisse propugnatam a doctissimo authore Dissertationis, de qua num.1., mihi narratum est.

Principis Apostolorum memoriam planissimè signant. Verùm quid conjecturas moramur quantumvis robustissimas, quum prorsus demonstrata res sit beneficio Patrum Bollandistarum? Viri de hagiologica historia, & christiana Religione meritissimi to. III. Aprilis ad titulum, *Prætermissi* (Sancti diei XXV.) *& in alios dies rejecti*, pag.343. col. 2. hæc notant, ex quibus omnis dubitatio submoveatur. DEDICATIO ECCLESIÆ *S. Petri Apostolorum Principis, inscripta est ms. Græco Synaxario, quod Parisiis spectat ad Collegium Claromontanum Societatis* JESU. *Poterit ejus Ecclesia describi ad hujus diem natalem* XXIX. *Junii*. Quod revera effectum est tomis ultimis Junii, ubi amplissima exhibetur descriptio basilicæ Vaticanæ.

Ergo juxta aliquos Festum, de quo agimus, erat *Dedicatio basilicæ* S. Petri: juxta aliquos *Romanæ cathedræ sollemnitas* nunc celebranda XV. Kal. Februarii: juxta aliquos *memoria affixi Romæ Primatus* laudato Petro dudum a Christo traditi, seu memoria fundationis Romani supremi Sacerdotii. At ex iis opinionibus verane ulla? Hoc jam sit, quod, propositis variis circa singulas animadversionibus, explicabimus. Ac animadvertimus illico, per nullam ex adductis rationibus evinci, dedicationem basilicæ Vaticanæ quondam celebratam fuisse VII. Kal. Majas. Porrò, quæ a novitate festi diei XVIII. Novembris deducitur, nihil evincit. Nam ejusmodi novitas omnino falsa est. Novum utique, per totum illud Latinum Orbem recoli, & publicis communibus Ecclesiasticorum Urbis libris annotari; quum hoc cœperit seculo quintodecimo, paullatim subinducto more per Fratres minores, quem retinuere, adoptaruntve postmodum approbata a summis Pontificibus Missalia, Breviariaque, sicuti sapienter observat Conradus Janningus to. V. Junii Bollandiani in analectis de SS. Petro & Paullo pag.470. §. XVIII. ubi de basilicis tribus præcipuis a Constantino Magno constructis, & a Sylvestro PP. dedicatis. Sed ejus celebratio multò ante agebatur; ita tamen, ut, quamvis eam etiam præsentia Romani Pontificis (quod ostendit lectio ritualium Ordinum præfato seculo antiquiorum) honestaret, haberetur tamquam festum locale, seu Cleri basilicæ magis proprium, quàm Urbis. Hinc est, quod in vetustis liturgicis illius scriptionibus accuratè notatum reperitur: XIV. Kal. Decemb.) *Dedicatio basilicarum Petri & Pauli*: aut: *In Dedicatione basilicæ B. Petri*

XIX. Expenduntur notatæ opiniones. Num festum Dedicationis basil. S. Petri diei 18. Novemb. sit recentis instituti?

Principis Apostolorum, quemadmodum ferunt Kalendarium, & Gregorianum antiphonarium ad usum Canonicorum S. Petri descriptum seculo xii., a Ven. Card. Thomasio, publicata in Responsorialibus, & Antiphonariis R. E. pag. 14. & 184., dum interim in voluminibus, quæ censebantur Ecclesiæ universæ communia, tale nihil legebatur. Ad rem Rodulphus Tungrensis (uti advertit cit. Janningus, postquam admonuit, *Dedicationem trium majorum basilicarum, aliaque Romæ localia, non pertinuisse ad Ordinem, seu Missale Romanum*) Prop. 22. *Nec sine mysterio de omnibus prædictis nihil proprietatis habetur in officio Gregoriano, quasi generaliter non sint retinenda*.

XX. Dedicationes ecclesiarum, earumque anniversaria olim acta diebus Dominicis.

Scio, quid huic animadversioni reponere possunt prælibatæ opinionis propugnatores: nimirum excludi ex allatis novitatem respectu postremæ ætatis, non autem respectu temporis, quo Veronense Sacramentarium compositum innuimus. Pulchrè illi; sed ad confirmandam opinionem parum utiliter. Nam consuetudo illius temporis memoriam Dedicationis amovet tum a die xviii. Novembris, tum a xxv. Aprilis. Meminerimus, sanctioribus Ecclesiæ sæculis & sollemnia Dedicationum, & eorum anniversaria celebranda fuisse diebus Dominicis. Primum multa testantur, maximè canon notissimus Concilii Cæsaraugustani acti anno DCXCI. per quem eo jam seculo vacillans consuetudo confirmatur. *Præsumptiones* (verba canonis 1.) *talium* (celebrantium dedicationes ecclesiarum extra Dominicas) *Pontificum non solùm SS. Patrum cohibemur prohibere sententia; sed propria deliberatione censemus, ut nullis penitus Pontificum, in quibuscumque provinciis constitutis, amodo liceat, præter certis diebus Dominicis, ecclesias sanctas consecrare*. Alterum fatentur viri in lectione priscorum liturgicon codicum exercitatissimi. Johannes Fronto in notis ad Kalendarium antiquissimum sub verbis: *Die* xv. *Julii Natal. S. Cyriaci*: habet: *Nulla ei missa præscribitur . . . Hodie Dedicatio alicujus ecclesiæ est ejus nomine consecratæ. Deest autem officium, quia celebrabatur in Dominica*. Cardinalis Thomasius pag. 33. Orationalis ad rubricam: iii. *Idus Maji . . Natale, seu Dedicatio S. Mariæ ad Martyres*: addit: *Hæc solemnitas semper celebratur die Dominica ejus hebdomadæ, in qua occurrerit*. Quod conforme est rubricæ: *Die* xiii. *mensis suprascripti* (Ma-

(Maji): *Dedicatio ecclesiæ S.M. ad Martyres. Legitur Euangelium, cujus concurrerit hebdomada; eo quod in die Dominico semper celebratur ipsa solemnitas.* Sic pag. 170. col. 2. partis II. Thomasiani codicis libror. antiquar. missar. R. E. in capitulari Euangeliorum pervetusto.

XXI. Institutio missæ propriæ S.Petri ad diē 25. Aprilis indiciū, quod dedicatio Basilicæ tunc minimè celebraretur.

Ea vigente consuetudine (vigebat autem Leonis Magni, aut Gelasii tempore) quis affirmaverit ipsa die XVIII. Novembris, quamquam primigenia (1) Dedicationis Vaticani templi, renovationem sollemnium ejus quotannis actam? Quis etiam id de ipsa die XXV. Aprilis cogitaverit? Aliàs adversùs hoc postremum prosilit ex consectario hujusce consuetudinis argumentum radicitus subvertens humanam quamcumque cogitationem. Quum Dominica die celebrarentur Dedicationes, consequebatur e stylo ætatis, ut missa, divinumve officium ageretur de Dominica, seu proprium non esset Dedicationis. Testes mox producti loci Ven. Thomasii, & Frontonis. Quid verò isthinc? Res manifesta, & glossa non indiga. Missa propria S. Petri, quæ legitur in Sacramentario Veronensi, nihil commune habet cum dedicatione Basilicæ.

XXII. Celebrationem istiusmodi non probari per verba II. orationis dictæ Missæ.

Quorsum verò (repetunt) verba secundæ orationis, *Beati Apostoli Petri, cui hæc est basilica sacrata?* Quorsum, addo ego, verba illa præfationis, *ubi venerabiles ejus* (B. Petri) *reliquiæ conquiescunt?* An festum *Depositionis*, aut *Translationis* corporis Apostoli designabunt? Dicam, quod sentio. Tum hæc, tum priora verba sunt formulæ, quibus non exprimitur festum, quod celebrabatur; sed locus Stationis, ad quem consistebat Romanus Pontifex, & multitudo fidelium. Sollemne autem plerumque fuit iis, qui publicis in conventibus, præsertim ad basilicam Vaticanam agi solitis, loquerentur, recitarentve aliquid Petrum vel in præsidium, vel in testem advocans, locum ipsum indicare, quamvis omnibus, quo loco starent, minimè foret occultum. Sic Leo PP.III. (unicum exemplum affero) Petrum invocabat subjungens, *cujus in conspectu consistimus*, ea occasione stans ad sepulchrum Apostoli, de qua nos cit. Lucubrat. Par. II. sect. III. §. IV. Mirum ceterò curiosumque (ne ridiculum appellem) videatur, si, quoties in aliqua celebritate orationem dari audias

(1) Ita fert Romana traditio, quam testantur asserta in lectione v. Officii hujus Dedicationis apud Romanum Breviarium &c.

dias dedicationis loci mentionem ingerentem, statim arbitreris, asserasque celebritatem illam esse Dedicationis. Si consequutiones ejusmodi valerent quidquam, Romæ Dedicationem basilicæ Salvatoris dicendum foret celebrari Lateranis die II. Rogationum. Canit quippe Episcopus, qui claudit agmen supplicationis, illuc ea die dirigi consuetæ, ante altare majus orationem illius basilicæ Dedicationem non minùs disertè memorantem, quàm Vaticanam memoret secunda Missæ toties nominatæ. *Omnipotens sempiterne Deus* (Lateranensis orationis tenor) *qui hanc sacratissimam Constantinianam basilicam in tuo, & utriusque Joannis nomine dedicatam cunctarum Urbis, & Orbis ecclesiarum decorasti Primatu, concede nobis famulis tuis, ut amborum meritis & precibus a nostris reatibus expiati ad te Salvatorem nostrum pervenire valeamus. Qui vivis &c.*

XXIII. Neque per titulum hujusce marginalem.

At forsan titulus marginalis, *In dedicatione*, rem decidit. Sic Viri clarissimi, non ego, quem, ne iis vel probantibus, si fieri posset, superiùs dicta nullius esse roboris, assentiar, aliquis adhuc prohibet scrupulus. Non certè, quod suspicer cum nonnullis (quos ariolos nuncupare soleo), τὸ *in dedicatione* additum fuisse per amanuensem deceptum ab excussis modò verbis II. orationis, quum Veronense Sacramentarium ætate authoris sui descriptum non sit, & ignoret nemo, quàm de facili & sæpè talibus codicibus additamenta fiant in commodum ecclesiarum, & privatorum hominum, quorum usui deputentur. Neque itidem quòd (1) suspicer, annotationem illam excogitatam fuisse, ut innueret codicem versantibus, eandem missam agendam pariter fore die dedicationis basilicæ S. Petri pro more Ecclesiæ eadem divina Officia quandoque adhibentis ad honorandam diversam alicujus sancti, aut mysterii memoriam, cujus moris testimonium præbeat inter plura rubrica, quæ est circa dedicationem S. Michaelis Archangeli his verbis concepta, *In festo dedicationis S. Michaelis Archangeli omnia cantantur sicuti in altero Festo Maji, tamen absque alleluja*, ad pag. 176. col. 1. cit. voluminis Thomasiani de responsorialib. & antiphonar. R.E. a B. Gregorio dispositis: nec non adnotatio signata num. CCCXCV. in Lectionario missæ pag. 112. col. 2. cit. par. II. libror. missar. R.E. similiter Thomasiano: *In inventione S. Stephani*. Stephanus

(1) Fugaret hujuscemodi suspicio cum assertis supra num. XXI.

nus plenus gratia. *Req. in natali ejusdem*. Ille me ſcrupulus angit, quod verbulo, *dedicatione*, adjunctum nihil videam.

XXV. *Dedicare* idem ac *celebrare*.

Debebat autem adjungi, *baſilicæ Vaticanæ*, ſi verè de illius dedicatione titulus fuiſſet intelligendus; quum miſſa indicaretur apud Sacramentarium neutiquam compactum in peculiarem localemve ejuſdem uſum. Quin ea adjectio tam neceſſaria, vel opportuna erat, quàm exploratum Majoribus, vocem, *Dedicatio*, cuicumque celebritati aptari potuiſſe ex eccleſiaſtico ſtylo, quem veterum ſcriptionum multiplici authoritate comprobant Patres S. Mauri dicentes: DEDICARE, *celebrare*. *Donatio S. Rudeſindi pro Monaſterio S. Salvatoris de cella nova inter Concil. Hiſpan. tom.* III. *p.* 181. *col.* 2. *Feſta S. Archangeli Michaelis* dedicetur *ſæpè in memoriam filii mei*. *Epiſtola Balduini Imp. CPolit. de ejuſdem Urbis expugnatione per Latinos an.* 1204. *Hæc, quæ Chriſtum ſolus* dedicat *honore picturæ*. Ita in additionibus ad Gloſſarium Cangianum.

XXV. Propterea vox *dedicatio* aptari ſolita cuicumque *celebritati*.

Et reapſe taliter aptata reperitur *dedicationis* vocula in antiquis Kalendariis, Martyrologiis &c. dum ſubſtituitur voci *natalis*, quam communem eſſe celebritatibus omnibus monent Docti, potiſſimè Florentinius admonit. IX. prævia ad Martyrologium ſuum pag. 44. & in notis pag. 334. col. 1. necnon Jo. Baptiſta Sollerius pag. 117. to. VI. Junii Bollandiani par. I. poſt auctaria ad Martyrologium Uſuardi. Subſtitutionis hujus exempla præſto ſunt. Feſtivitatem Cathedræ per vocabulum *natalis* indicat ad menſem Februarii (præter Kalendarium Bucherii ferens, uti dictum ſupra, *Natale S. Petri de Cathedra*, & Lectionarium miſſæ deſcriptum in codice 497. Vaticano-Palatino, allegatumque a Ven. Card. Thomaſio ad p. 101. col. I. par. II. voluminis de antiquis libris Miſſar. R. E., quo notatur num. CCCXXVI. *In Cathedra Natali S. Petri Apoſtolorum Principis*) Martyrologium Corbeienſe apud cit. Florentinium, alioſque, & Morbacenſe apud Martenium to. III. anecdot. col. 1574. in quibus legitur: *Natalis Cathedræ S. Petri Apoſtoli* &c. Verùm *Dedicatio* (1) *cathedræ S. Petri* eſt feſtum Cathedræ ad diem XVIII. Januarii in Martyrologio poſtremò memorato col. 1573., & in antiquo Corbe-

(1) Ex hac locorum collatione apparet hallucinatio Florentinii dedicationem eccleſiæ interpretantis verba Martyrologii ſui ad 13. Januarii p. 261. *Dedicatio S. Petri Apoſtoli, qua primò Petrus Apoſtolus Romæ ſedit*. V. notam in hunc locum.

bejensi col. 1594. dicti tomi, ad hæc, in antiquo Gallicano, quarto inter edita per laudatum Martenium to. VI. collectionis veterum Scriptorum col. 659., in Martyrologio Rhabani Mauri, ac in rubrica Orationalis Thomasiani pag. 29. col. 2. Dies *natalis* exprimitur festum anniversarium assumptionis suæ ab Hilaro PP. in epistola VIII. Habet *in natali Papæ* rubrica tum Sacramentarii Gregoriani pag. 369. to. II. liturgic. latin. Pamelii, tum Kalendarii Frontoniani ad titulum, *Incipiunt lectiones Euangeliorum diversis causis*, & *in natali Episcopi* alia ad num. LXX. vetustissimi lectionarii lib. II. pag. 165. Liturgiæ Gallicanæ Joh. Mabillonii &c. Verùm ejusmodi celebritates appellat *dedicationes* antiquum decretum apud Gratianum de consecr. D. I. c. 16. 17. inquiens: *Solemnitates Dedicationum ecclesiarum, Episcoporum, & Sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ.* Ut hic habetur, celebritas *consecrationis ecclesiarum* dicebatur *dedicatio*, quod aliàs perquam notum, & nostra quoque ætate frequentatum. Verùm & *natalis* persæpè dicta invenitur, testibus rubrica modò citati lectionarii, quo scribitur num. LXXV. pag. 168. Liturg. Gallic. *Legenda in natali ecclesiæ*, Gregoriano Sacramentario Menardi, ubi *dedicatio* S. Mariæ ad Martyres *natale* nuncupatur, cit. Kalendario Frontonis, quo *natale* S. Cyriaci sumitur pro *dedicatione* ejus ecclesiæ, uti produnt narrata num. XX., ac veteri Lectionario missæ apud Ven. Thomasium in volum. de antiquis libris missar. Rom. Eccl. quo *natalis S. Nicomedis Martyris* dicitur festivitas alibi nuncupata *Dedicatio basilicæ S. Nicomedis Martyris*. Vide partem II. d. voluminis p. 106. col. 2. & pag. 175. nota *a*. Festum vocatum *de S. Maria in Octava Dñi* apud antiphonarium S. Gregorii vocatur *natale S. Mariæ* ad eam diem in Kalendario Frontonis: festum SS. Philippi & Jacobi ad 1. Maji, & SS. Petri & Paulli ad XXIX. Junii *natale* dicuntur *Apostolorum Philippi & Jacobi*, ac *SS. Apostolorum Petri & Pauli* in vetustioribus codd. Sacramentorum, aliisque. Verùm & est festum B. Mariæ *depositio* (nempe (1) *natalis*) appellatum *Sanctæ & gloriosæ B. Mariæ matris Dñi nostri Jesu Christi* ad diem XVIII. Januarii apud Martyrologium Florentinii pag. 261. quod appellatum alibi le-

(1) Voces, *natalis*, *depositio*, *festivitas* &c., promiscuè adhibitas observant continuatores Bollandi to. V. Junii in analectis de SS. Petro & Paullo §. XX. num. 225. pag. 475. col. 2. &c.

legimus *dedicationem*: & natalitiæ dies laudatorum Apostolorum *consecrata* (quod est *dedicata*) feruntur in orationibus Ecclesiæ. Sanè octavum ex Martyrologiis Martenianis to. VI. cit. collect. col. 688. præscriptum, *insignis ecclesiæ Autissiodorensis*, notat XV. *Kal. Febr.* . . . *Autissiodoro Dedicatio Beatæ & gloriosæ Virginis Mariæ*. Oratio in natali SS. Philippi & Jacobi apud codicem Gelasianum Ven. Thomasii lib.I. p.150. col. 1. *Deus, qui es omnium Sanctorum tuorum splendor mirabilis: quique hunc diem BB. Apostolorum Philippi & Jacobi martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ de natalitio tantæ festivitatis lætari* &c. Oratio in natali SS. Petri & Paulli ibid. p. 157. col. 2. *Deus, qui hunc diem BB. Apostolorum Petri & Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ toto terrarum orbe diffusæ eorum semper magisterio gubernari* &c. Hymnus S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis de eorumdem natali:

Apostolorum passio
Diem sacravit seculis,
Petri triumphum nobilem,
Pauli coronam præferens.

Pag. 60. Hymnarii memorati piissimi Cardinalis.

XXVI. Incertum, an Synaxariũ productum ad probandam præfatam celebrationẽ loquatur de ecclesia materiali.

Res igitur per titulum, *in dedicatione*, minimè deciditur, nisi fortè probetur, intelligi tantùm debere illum excellentia quadam pro dedicatione Vaticanæ basilicæ, aut aliunde constet, ad hunc intellectum esse determinandum. Primum nemo conficiet, maximè quia potest alia excogitari sollemnitatis species, cui accommodetur æquiùs ac probabiliùs illiusmodi prærogativa, sicut ostendent dicenda num. LI. Alterum certè non efficietur per authoritates pares authoritati Synaxarii Claromontani. Verè illud ad XXV. Aprilis notat dedicationem Ecclesiæ Principis Apostolorum; sed unde scimus, festumne per eam significetur consecrationis materialis ecclesiæ, an festum Ecclesiæ Petri, idest, Romanæ, aut universalis? Sciremus fortasse, si Bollandianis sociis, quale habetur in codice, datum testimonium exhibere placuisset, nativo scilicet sermone nobis exprimens *ecclesiæ* vocem.

XXVII. Quod si certum, incertum, an de ecclesia S. Petri Urbis.

Cedamus tamen. De materiali ecclesia loquitur Synaxarium. Probandum (quod caput est) loqui de ecclesia Principis Apostolorum Vaticana. Quis autem, deficiente verbulo *Urbis*, aut simili, ad hoc probandum aggrediatur? Porrò, qui tale audeat, paratus sit, oportet, ad demonstran-

ſtrandum, a Græcis priſcæ ætatis baſilicam Vaticanam fuiſſe nuncupatam κατὰ τὴν ἀντονομασίαν eccleſiam Principis Apoſtolorum, aut celebratas Romanas aliquot locales privataſve feſtivitates; quæ ipſi ridebunt Latini: aut feliciores & accuratiores his fuiſſe Græcos in annotanda, ſervandaque memoria inſignis Romanæ celebritatis; quod ſummè diſſimile vero: aut nullum apud Græcos conſecratum unquam templum in honorem Petri, cujus eventus, actionifve recordatio meruerit aliquo deſcribi Synaxario; quod illi omnes tamquam falſum exſuſtlabunt, adducto in teſtem vel unico Du-cangio noſtro, qui libro IV. CPoleos Chriſtianæ cap. v. pag. 115. & ſeq. ſeptem recenſet ſacras ædes apud Regiam eam Urbem Apoſtolorum Principis honori dedicatas.

XXVIII. Potius loquitur de aliqua eccleſia Græcanicæ ditionis.

Nonne quis prudentiùs exiſtimarit, deſignari per verba laudatæ ſcriptionis dedicationem eccleſiæ B. Petri, quæ intra fines Græcæ, aut Italo-Græcæ ditionis aliquando conſtructa fuerit, ubi codex, nunc Pariſienſis Claromontanus, peculiares propriaſque vel diœceſeos, vel Cœnobii cujuſpiam feſtivitates (præter communes toti nationi, atque etiam Orbi) continens in uſu eſſet? Hoc judicium conſideranti mihi, quàm multi hujuſcemodi codices in dies detegantur a Doctis, magis arrideret. Quinimò arriſiſſe ſuſpicor Bollandianis continuatoribus. Nam, ſi conſtanter de Romana baſilica cenſuiſſent explicandum evulgatum locum, haud neglexiſſent de magna ſollemnitate pauca dicere ad fidem tam illuſtris documenti to. v. Junii ad diem XXIX., qua, ſicuti pollicentur proferentes ejus verba, de celeberrima Vaticana baſilica copioſiſſimè diſſerunt, & ſpeciatim illius dedicationem illuſtrant. Excurre cit. tomum.

XXIX. De veteri feſto Cathedræ Romanæ quid ſenſerit Paullus IV.

Itaque non evincitur (quod declarandum ſuſceperam num. XIX.) ex præmemoratis rationibus, Feſtum noſtrum fuiſſe anniverſarium *dedicationis baſilicæ* S. Petri. Sed validiores forſan, quibus permoti ſunt illud interpretantes pro feſto Cathedræ nunc celebrando XV. Kal. Februarii. De hoc judicent Eruditi, poſtquam in memoriam revocaverint, quid Paullus PP. IV. Conſtitutione, *Ineffabilis*, edita VIII. Id. Januarii A. D. MDLVIII. legenda to. II. Januarii Bollandiani pag. 182., & Scriptores in ſacra antiquitate verſatiſſimi de veteri celebratione hujus feſti pronunciaverint. Profectò laudatus Pontifex non magis clarè ſanxit, perpetuis futuris tem-

temporibus festivitatem Romanæ Cathedræ, celebrari consuetam apud Gallos, Hispanosque, & Romæ neglectam, sollemni ritu colendam fore tandem per universum catholicum Orbem, quàm affirmat *restituendam potiùs antiquæ celebritati, quæ* (sicut ante dixerat) *juxta antiquissimorum SS. Patrum nostrorum testimonium* XV. *Kal. Februarii fuit*.

Hugo Menardus pag. 47. notarum in librum Sacramentorum S. Gregorii, ubi de rubrica, *Cathedra S. Petri*, præposita diei XXII. Februarii hæc scribit, memorato priùs Turonensis II. Concilii celebrati A. DLXVI. canone vigesimo secundo: *Cùm in hoc Concilio, & in codd. mss. supra citatis nominetur Cathedra S. Petri sine adjuncto, puto, hoc 22. die Februarii sollemnitatem utriusque Cathedræ celebratam fuisse, & decursu temporis Cathedræ soli Antiochenæ devolutum fuisse. Præterea notandum, in nostris codicibus mss. nullum diem festum Cathedræ S. Petri Romæ, ut neque in editis, neque apud Pamelium*. XXX. QuidMenardus.

Sebastianus Tillemontius to. I. monimentor. hist. eccl. nota XXVIII. ad gesta S. Petri. *La fête de la Chaire de S. Pierre a Rome n'est point marquèe dans le Sacramentaire de S. Gregoire, ni dans le Calendrier Romain du Pere Fronto, & de Allatius, ni en divers autres, ni dans le Martirologe de Bede. Elle est dans Usuard, dans Adon &c. dans les anciens Martirologes, qui portent le nom. de S. Jerôme, & dans un Martirologe de Languedoc ancien de 900. ans, où il est marquè, qu' on faisoit la Chaire de S. Pierre le 18. de Janvier dans les Gaules sans rien dire de Rome, ni d'Antioche, non plus qu' en divers endroits de l'antiquitè, qui parlent en general de la Chaire de S. Pierre. Ainsi semble, que les eglises voulant honorer l'Episcopat de S. Pierre, celle de Rome l'ait fait le 22. de Fevrier, & celles des Gaules le 18. de Janvier. Et ceux, qui ont voulu remarquer toutes les deux fétes, comme les Martirologes de S. Jerôme, Usuard, & autres ensuite, ont appellè une de Rome, l'autre d'Antioche. Le Pere Quesnel croit aussi, que jusque a Paul IV. l'Eglise Romaine a celebrè l'Episcopat de S. Pierre en general le 22. de Fevrier. Ce que nous avons dit, ne laisse pas de faire voir, que ce Pape en etablissant la fête de la Chaire de S. Pierre a Rome au 18. de Janvier par sa Bulle, a pu dire avec veritè, qu' il ne faisoit, que retablir, une chose, qui avoit deja estè autrefois* &c. Pag. 520. & seq. editionis Venetæ. XXXI. Tillemontius.

XXXII. Sollerius.

Pater Sollerius pag.42. Martyrologii Usuardini in observationibus ad XVIII. Januarii. *Mirum, a Clar. Castellano ita differi, ac si indicare vellet, festum Cathedræ Romanæ ante tempora Caroli Magni Gallis fuisse peculiare, Romæ verò, & tota Italia prorsus ignotum. Multò probabilius est, non minùs Romæ, quàm in Francia fuisse cognitum, tametsi singulari fortasse cultu, seu peculiari missa celebratum non fuerit, quoniam festivitas alia* XXII. *Februarii æquè de Romana, atque Antiochena Cathedra soleret intelligi, ut advertit Beletbus ab ipso Castellano ibi citatus*. To. VII. Junii Bolland.

XXXIII. Et Apologistes Ven. Card. Thomasii.

Anonymus defensor librorum liturgicorum S R. E., eorumque editoris, ac illustratoris Ven. Card. Thomasii. *Se avesse egli* (censor, quem exagitat, refellitque) *avuto miglior occhi, o miglior animo, avrebbe letto nell' antichissimo codice Gelasiano espressa la festa della Cattedra .... Apra quel volume, e leggavi nel solo giorno* 29. *di Giugno notate tre feste con le tre messe distribuite per ciascuna di quelle. Il titolo della prima è questo*: In Natali S. Petri propriè III. Kal. Julii. *Della seconda*: In natali Apostolorum Petri, & Pauli III. Kal. Julii. *Della terza*: In Natali S. Pauli propriè III. Kal. Julii. *Passiamo ora dai titoli alle messe. Eccoci alla bella prima incontrati colla* Messa, *e colla* Festa della Cattedra di *S. Pietro. Vuole egli forse chiarirsene meglio il Censore? Osservi bene le* trè Orazioni, *che in quella prima Messa si leggono, e troverà esser quelle medesime, che alla menzionata Festa sono assegnate ne' Sagramentarj di S. Gregorio dell' edizione del Pamelio, del Rocca, e del Menardo. Anzi troverà, che onninamente sono le stesse, che quelle, che sono nel Messale Romano, e che noi recitiamo nelle festività delle due* Cattedre Romana, e Antiochena. Vide Opusculum, cui tit. *Difesa* &c.impressum Panormi A. D. MDCCXXIII. cap. II. §. VI. num. I. pag. 35. & sequ.

XXXIV. Ostenditur, festum diei 25. Aprilis intelligi non posse necessariò de Festo Cathedræ per Paullum IV. restituto.

Hæc Paullus IV. Hæc nonnulli selecti inter plures antiquitatis sacræ peritissimos authores. Ex quibus patet, quàm frivolum sit, quod affert ad inducendam verosimilitudinem opinionis suæ quisquis interpretatur Festum nostrum pro veteri celebratione festi Romanæ Cathedræ. Si attendas a summo Pontifice pronunciata, ambigendum non est, quin die XVIII. Januarii, quod nunc celebratur Romanæ Cathedræ festum, celebratum quoque fuerit in Urbe vetustioribus annis, & super hoc ulteriùs, subtiliùsque minimè inquirendum, præ-

præeunte potissimùm exemplo clarorum Virorum, maximè Franc. Blanchini. Si attendas prænunciata ab allegatis scriptoribus, quum conjecturis nitantur haud contemnendis, dicendum, per ea tempora celebratam Romanam Cathedram in Urbe vel sub unica sollemnitate diei XXII. Februarii, vel prænotata XVIII. Januarii, cultu tamen minùs splendido, publicove, vel die XXIX. Junii in festo Natalis S. Petri. Elige, quod velis. Nulla certè erit necessitas tibi posthac pertugiendi ad festum diei XXV. Aprilis, ut Romanorum vetustioris œvi Religionem absolvas.

In opinione Blanchiniana non unum mihi displicet. Primum, quod memoriam aliquam momenti adepti per Petrum Primatus putare doctissimus Author videatur recoli sub cortice nostri Festi, quam alii valde probabili ratione ducti ad diversam diem constituunt. Eminentissimus Annalium ecclesiasticorum Parens illam jungit celebritati Romanæ Cathedræ. *Hac die* (Baronius in notis ad Martyrol. sub 18. Januarii) *non illa tantùm sollemnitas agi videtur, qua* (1) *Petrus Romæ sedere cœpit, sed etiam sacrosancta illa recolitur institutio, qua a Domino Petrus Petra fundamentalis Ecclesiæ constitutus perpetuæ stabilitatis promissionem, & claves Regni cælestis accepit, quam in omnibus præsefert sacrum officium ecclesiasticum, ac præsertim in antiqua præfatione, quæ scripta reperitur in Sacramentario S. Gregorii, quod vetustissimum habetur in Vaticano* &c. Sequitur præfationis textus. XXXV. Memoriam traditi Petro Primatus recoli die 18. Januarii juxta Baronium.

Lugdunensis ecclesia momenti illius memoriam fortasse credidit honoratam sub festo Cathedræ XXII. Februarii, hæc recitans pro III. lectione ejus Officii. *Cathedra summi Pontificis, cujus hodie festum celebramus, promissa est Petro, cùm Christus ei dixit, ut habetur Matthæi* XVI. *Ego dico tibi*, usque, *solutum & in Cœlis. His igitur verbis Christus Cathedram summi Sacerdotii Petro pollicitus, antequam pateretur, eamdem tradidit post Resurrectionem, dum ter ipsi suum gregem pascendum commendaret; de quo sic scripsit Johannes.* Sequitur locus integer Euangelistæ. *Petrus igitur post Ascensionem, cùm Galatiam, Bythiniam, & Cappadociam peragrasset, Christi fidem prædicando, & sermonem miraculis confirmando, Antiochiam reversus est, ibique Cathedram, hoc est Sedem Apostolicam fixit, tenuitque septem annos, donec jussu Dei (ut verbis utar Mar-* XXXVI. Vel 22. Februarii juxta authores Breviarii Lugdunensis.

(1) V. infra num. LVI.

celli PP. & Mart.) eam transtulit Romam, immobilemque locavit, ut ad commoditatem Christianorum, & Religionis argumentum sedes summi Sacerdotii, & Ecclesiæ caput esset in ea potissimum urbe, quæ Principatum Orbis obtinebat. Verba Breviariorum Lugdunensium, typis editorum anno MDXLIII. & MDLVI., relata ab Illustriss. Franc. Maria Phœbæo pag. CXVI. & seqq. Dissertationis de Romana Cathedra.

XXXVII. Ac Mabillonius.

Quod verò Lugdunensis ecclesia minùs expressè, professus est manifestissimè (ut alios præteream) Mabillonius; quando expendens Romanane, an Antiochena Sedes indicaretur per titulum, *Legenda in Cathedra S. Petri*, descriptum pag. 120. Liturg. Gallic. lib. II. ad num. XXIII. pervetusti Lectionarii, sic fatur in notis, & observationibus suis. *Sive hæc, sive altera intelligatur nomine Cathedræ S. Petri sine adjuncto; potiùs Petri Confessio, & Primatus, quàm Sedes Antiochena, Romanave honoratur*. Quin etiam, quod protestus est Vir emunctissimæ naris, ratione muniit Baronianæ pari; ducta nempe ab œconomia divinorum Officiorum Ecclesiæ Gallicanæ, quam ibi illustrandam suscepit.

XXXVIII. Cui suffragatur œconomia divinor. Officior. Ecclesiæ Gallicanæ.

Omninò autem eximiè. Nam missa præscripta, *In Cathedra S. Petri*, primùm vulgata a Ven. Thomasio pag. 308. & seq. codicis Sacramentorum, & Lectionarius mox citatus Petri Confessionem, Pastoris officium, promissam concessamque Petro dignitatem Primatus per suas preces, lectionesque rememorant apertè, atque commendant. Collectio (aliqua delibemus) dictæ missæ. *Deus, qui hodierna die B. Petrum post te dedisti Caput Ecclesiæ, cùm te ille verè confessus sit, & ipse a te dignè prælatus sit, supplices exoramus, ut qui dedisti Pastorem, ne quid de ovibus perderes, ut grex effugiat errores, ejus intercessione, quem præfecisti, salvifices. Quod ipse præst.* Contestatio. *Dignum & justum est. Qui dives infinitæ clementiæ copioso munere plasmam tuæ creaturæ in tantum dignaris erigere, ut vernaculo limi patiaris homine de terrena compage claves Cæli committeres, & ad judicandas Tribus solium excelsæ Sedis in sublime componeres. Testis est dies hodierna Beati Petri Cathedra Episcopatus exposita, in qua fidei merito revelationis mysterium Filium Dei confitendo prælatus Apostolos* (*Apostolis*, vel *Apostolus* juxta Mabillonium) *ordinatur, in cujus confessione est fundamentum Ecclesiæ* &c. Lectionarius sub enunciato titulo. LECTIO S. EVANGELII SECUN-

CUNDUM MATTHÆUM. *Tempore illo venit Jesus in partes Cæsaraæ* &c. usque, *erit solutum & in Cœlis*. Matth. cap. 16. ℣. 13. ad 19. *Deinde continenter ex Johannis cap. 21. Post hæc dicit Simoni Petro; Simon Johannis diligis me plus his* &c. *usque ad* ℣. 19. *qua morte clarificaturus esset Deum*.

Connexio isthæc diversorum Euangeliorum, e quibus alterum promissionem Primatus, concessionem alterum signat, rem explicante superiùs descripta lectione Lugdunensi, mirum in modum declarat, celebratam Primatus jam Petro promissi, concessique memoriam in Festo Cathedræ diei XXII. Februarii ex consuetudine Gallicanæ Ecclesiæ; a qua tamen discordasse ne puta Romanam omnium matrem ac magistram. Certè si leges missam illius sollemnitatis relatam in Sacramentario S. Gregorii, & veterem antiphonarium, qui pars est Appendicis ad Antiphonarium ejusdem Pontificis nomine ornatum pag. 255. col. 1. Thomasiani voluminis de antiquis libris missar. R. E. tit. *in Cathedra S. Petri*, recognosces in missa sensus omnes complexos, quos allegatus supra locus Matthæi suggerit: in antiphonario offendes: COMM. *Simon Johannis, diligis me plus his? Domine, Tu omnia nosti. Tu scis, Domine, quia amo Te. Psalm. Domine, probasti*. Quæ nemo non videt prolata in memoriam dictorum cit. loco Euangelii Johannis. XXXIX. A qua non discordabat Liturgia Romana.

Sed affixio Primatus Romæ a Petro facta, sive declaratio ejusdem addicti Romano Episcopatui, seu fundatio Romanæ universalis Cathedræ culta sit VII. Kal. Majas; memoria scilicet rei, quæ acciderit aut eo momento, aut valde proximo. Et hæc princeps Blanchinianæ opinionis pars displicet. Tanti eventus dies dicenda potiùs illa, qua Petrus, profuso sanguine, Romæ obiit, ideſt (uti Romana fert constantissima traditio, & viri κριτικώτατοι contendunt, præcipuè Tillemontius cit. to. I. hist. eccl. nota XLIV. de Petro pag. 533. & seqq.) vigesimanona Junii. Tunc enim plenè & propriè constitit, declaratumque est, quibus in Episcopis successionem Principis Apostolorum, sive quo in Episcopatu fixisset prærogativam regendi universalem Ecclesiam, Primatum, maximum Sacerdotium, seu Cathedram supremam (quæ utique, vivente Petro transferri, figique alibi ad sensum hominum potuisset) æternum divinæ providentiæ consilium, & inscrutabile judicium. Fuit hæc Baronii sententia, quam saltem insinua- XL. Nonnullis persuasam, a die obitus S. Petri repetendā certam Romanæ supremæ Cathedræ fundationem.

ſinuare videntur ſcripta ad annum xxxix. num. xviii. Fuit & doctiſſimi Benedicti Bacchinii, uti facili colligitur ex iis, quæ de authoritate Sedium Apoſtolicarum diſſerens habet parte prima Diſſert. de originib. eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. iiI. n. xxv. a pag. 288. ad 290. Fuit laudati Tarſenſis Archiepiſcopi Phœbæi, qui in indice cit. diſſert. de Romana Cathedra lit. M. notavit. *Morte S. Petri Romæ Sedes Univerſalis Epiſcopi affixa, & perpetuò firmata*. Fuit tandem (& quidem luculentiſſimè propoſita) eruditiſſimi Anonymi ad num. xxxiii. allegati. Legeſis, quæ ſolidè, lateque ſcribit in citato etiam ibi opuſculo cap. iI. §. vii. n. iv. p. 41. & ſeqq. & cap. viii. §. iI. num. xii. pag. 121.

XLI. Id quod probari poteſt authoritate Romanor. Pōtiff. aliorumque Patrum.

Ceterùm ita ſentientibus præluxit Romanorum Pontificum, Patrumque authoritas. Innocentius PP. in epiſtola I. ad Decentium, quam Phœbæus citat. *Romanam ſanctam Apoſtolicam erexit* (Petrus) *eccleſiam, & una cum perſona omne jus ſummi Pontificatus in eam tranſtulit, & firmiter ſtabilivit* EO IPSO, *quod hanc uſque ad martyrium in cruce ſuſceptum tenuit* &c. Et epiſtola xviii. *Prima primi Apoſtoli ſedes monſtratur, ubi* (Antiochiæ) *& nomen accepit religio Chriſtiana, quæ urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe*, CONSUMMATUMQUE *gaudet*. S. Ambroſius in hymno de natali SS. Apoſtolorum Petri & Paulli ſpeciatim de Petro.

Verſo Crucis veſtigio
Simon honorem dans Deo
Suſpenſus aſcendit, dati
Non immemor oraculi:
Præcinctus (ut dictum eſt) ſenex,
Et elevatus ab altero,
Quo nollet, ivit, ſed volens
Mortem ſubegit aſperam.
Hinc Roma celſum vertice
Devotionis extulit,
FUNDATA TALI SANGUINE,
Et Vate tanto nobilis.

XLII. Num conſtet, S. Petrum ſuum. In Patriarchatu Antiocheno ſucceſſorem Roma ablegaſſe?

Pag. 60. hymnarii Thomaſiani.

At, quum ſecundum aliquos Petrus Roma Antiochiam tranſmittebat Euodium, Marcum Alexandriam (quod actum circa xxv. Aprilis) nonne Primatum declarabat affixum, addi-

ditumque Romano Episcopatui, atque ita primordia a se constituta demonstrabat supremi Sacerdotii, seu Romanam fundabat Cathedram? Hoc juxta Blanchinum. Quod nec mihi placet; quum incertum sit, Ignatiusne, an Euodius Petro successerit proximè; ac insuper viri alii eruditissimi censeant, in ipsa Antiochena urbe successorem Euodium a Petro ordinatum. *S. Pierre en quittant l'Episcopat d'Antioche ordonna, ce semble, S. Ignace (S. Euode) pour remplir sa place*, inquit Tillemontius p.163. cit. to.1. hist. eccl. art. XXVIII. de S.Petro. *Elapso septennio Cathedræ Antiochenæ, substituto ibidem S. Euodio, primam Ecclesiæ christianæ Cathedram in urbe Romana . . collocavit* (Petrus) *anno æræ Chr. quadragesimo*, ait Godefridus Henschenius num. 28. exercitationis IV. ad Chronologiam pontificiam &c. *A sa place il laissa* (Petrus) *à Antioche Euode son disciple, qui gouverna cette Eglise 26. ans*, habet (prætermissis aliorum quamplurium Eruditorum similibus testimoniis) Claudius Fleurius lib.1. hist.eccl. num.XXIV.

XLIII. *Per ejusmodi ablegationem, similesque actus non satis exprimi affixionem, & fundationem Primatus, Cathedræque supremæ.*

Utut nihilominus de hac re fuerit (cui intelligendæ, enucleandæque juverit percurrisse laudati Tillemontii notationem primam in S. Ignatium to. II. cit. Operis) certum videtur, per ablegationes, transmissionesve enunciatas probari, quod Petrus jurisdictionem concessæ sibi dignitatis Primatus exercuerit Romæ, non verò quod tum Romano contulerit Episcopatui tam illustre privilegium. Nam & ex aliis locis, quibus substitit aliquandiu, priusquam adiret Urbem, veluti Hierosolyma, Antiochia, & fortasse reliquis Orientis primariis civitatibus, non dubiè discipulos ablegavit, nulla interim declaratione, affixioneve Primatus consequente. Adde quod, si Primatus indicia, & exercitium tantum habuissent virtutis, ac roboris, prærogativa illius fateri debuissent Patres (aliàs eam summa consensione tribuentes Romæ) donatam Hierosolymam, ubi primitùs, ac pluries suum patefecit verbis, rebusque Principatum sanctissimus Apostolus, testibus notatis apud librum Actuum, potissimè capp. I. II. III. IV. XV.

XLIV. *Litania major, qualis nunc, posterior est institutione Festi nostri.*

Præterea, tametsi concedatur, quæ gessit Romæ Petrus, affixionem, declarationemque translati Primatus verè designasse, ecquis narravit, ea contigisse mense Aprilis? Conjicimus id (audio Viri summi responsum) ex addictis, recolendi caussa insigne beneficium, momento illi diu ante Pontificatum

tum Gregorii Magni (videlicet, vel ab incunabulis Ecclesiæ, vel ab Imperio Constantini I. Augusti) *majore* adhuc superstite litania, Clerique Romani progressu ad basilicam S. Petri. Verùm quid, si hæc omnia non satis firmo superextructa fundamento ostenderetur? Planè antiquissima est apud Romanos consuetudo litaniæ majoris, sive celebritas procedentis universi Cleri ad aliquam ecclesiam. Attamen *major*, quæ ad Vaticanam nunc tendit VII. Kal. Majas, seu qualis nunc est, authorem (quod mirari subit effugisse Cl. Blanchinum) nacta est laudatum Pontificem Gregorium. In hoc video convenire ferè omnes Eruditos veteres, novissimosque; quamquam disputent, num Gregorius author dici solùm debeat, quia primus eam indixit ad S. Petri, an potiùs, quia vel instituit in *septiformi* sua, vel per conjunctionem hujusce cum antiqua *majore* agi solita mense Septembri, aut vagante per anni circulum, quemadmodum amplè narratum, probatumque cit. Par. II. Lucubrat. sect. III. a §. V. ad XI. Aliàs minimè falli tot Eruditos, quoad summam, qua conveniunt, vel sola pandit collatio vetustiorum liturgicon monumentorum R. E. Siquidem in iis, quæ Gregorii pontificatum antecessere, hoc est, Kalendario Liberiano, hagiologiis Hieronymianis minùs interpolatis, Sacramentariis Veronensi, & Gelasiano Ven. Thomasii &c. *litania major* diei XXV. Aprilis notatur nunquam: contra legitur ferè in singulis coævis SS. Pontifici, aut posterioribus Sacramentorum libris, præcipuè (1) Pameliano, Kalendariis, præsertim Frontoniano, utique non ante Gregorium (2) scripto, Martyrologiis, Antiphonariis, Responsorialibus, aliisque id genus.

XLV. Et illius indoles ab hujus indole summè diversa.

Ubi hic ergo tempora magni Constantini, & incunabula Ecclesiæ? Sed fortè sic tota vetus ratio litaniæ majoris composita, ut instituta fuisse videretur ad honorandam lætissimam declarationis Primatus, seu fundationis Romani summi Sacerdotii, Romanæve Cathedræ memoriam? Nequaquam. Preces, ac divini Officii distributio, quibus celebrabatur seculis

(1) Meminesis, hoc haberi pro synceriori inter edita a cit. Card. Thomasio; quod fert ejus præfatio ad laudatum Sacramentarium.

(2) Scriptum est Kalendarium istud vel seculo VIII. ineunte, sicut putat editor, vel secundùm alios, præcipuè Bailletum, deficiente VII. proptereaque nullo modo ante pontificatum magni Gregorii. Quæ opinio, seu meliùs suspicio fuisse videtur Papebrokii. Lege to. V. Junii Bolland. pag. 460. col. 1.

lis antiquioribus litaniæ majoris sollemnitas, undique ideam suscitant sollemnitatis pœnitentiæ, afflictionis spiritus &c. Vin' specimen? Antiphona ad *introitum collectæ* hæc erat: *Populus Syon convertimini ad Dominum Deum nostrum, & dicite ei, potens es, Domine, dimittere peccata nostra, ut non inveniant nos iniquitates nostræ, Deus noster* &c. Apud pag. 181. col. 1. antiquar. missar. R.E., & pag. 130. Responsorial. & Antiphonal. Card. Thomasii. Antiphona *ad processionem per viam* inter ceteras: *Exclamemus omnes ad Dominum dicentes: Peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos a malis, quæ quotidie adcrescunt super nos* &c. Et alia: *Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ut non in æternum irascaris nobis*. Apud cit. volum. missar. p. 181. col. 2. Oratio *per viam* inter alias: *Deus, qui culpas delinquentium districtè feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses, ut, qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per*. Et, quæ sequitur: *Parce, Domine, quæsumus, parce populo tuo, & nullis jam patiaris adversitatibus faticari, quos pretioso filii tui sanguine redemisti. Qui tecum*. Apud Sacramentarium Gregorianum, & Orationale Thomasianum pag. XXXII. Prima oratio *ad stationem, sive missam* erat: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur*. Apud modò citatas scriptiones. De epistola, & euangelio ad missam liber *lectionarius*, & *Capitulare euangeliorum* pervetustum: *Lectio epistolæ B. Jacobi Apostoli. Charissimi, confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini* &c. *Die* XXV. (Aprilis) *in letania majore. Secundùm Lucam* cap. CXXIV. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum?* usque ... *dabit spiritum bonum petentibus se. Item alia. Secundùm Lucam* cap. LV. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes*, usque, *festucam de oculo fratris tui*. Apud cit. volumen missarum par. II. tit. *In litania majore. Statio in basilica B. Petri Apostolorum Principis*, n. CCCXXXVIII. pag. 103. necnon pag. 166. & seq.

XLVI. Definitur, dubitandum de veritate notatarum superius Opinionum circa obiectum Festi nostri.

Alia sunt per Blanchinum explicantem, munientemque opinionem suam prolata, quæ nullatenus placent. Sed animadversum jam affatim ad statuendum (huc autem dicta omnia collineant) non magè solidis gravibusque rationibus

E ful-

fulciri eamdem, quàm libratas numm. ſuperioribus;atque ita ſatis datum ad definiendum, nec veram Feſti noſtri conditionem aſſignari ab iis, qui illud conſtituunt in Dedicatione Vaticanæ baſilicæ: nec ab iis, qui in ſollemnitate Romanæ Cathedræ ultimis temporibus a Paullo IV. reſtituta: nec ab iis, qui in memoria declarati favore Romanæ Eccleſiæ ſupremi perennis Sacerdotii, ſeu affixi in Urbe Primatus duodecim ante annos ipſa die xxv. Aprilis a Petro ſuſcepti, aliàs, fundationis Romanæ Cathedræ totam Eccleſiam moderaturæ. Quod explicandum propoſueram num. xix.

XLVII. Regula ad internoſcendû initiû cujuſvis Pontificatus Romanor. veterum Antiſtitum.

Nunc ſi ſcire velis, quænam fuerit, me judice, conditio iſthæc, dicam continuò. Fuit memoria ſingularis, Urbique gratiſſimæ actionis Petri, quæ non fictione quadam juris eccleſiaſtici, ſed revera vii. Kal. Majas acciderit. Quid autem acciderit, explicandum ſubſidio regulæ, quo initium cujuſque e vetuſtioribus Romanorum Antiſtitum pontificatibus per authentica Urbana monumenta, qualia picturæ baſilicarum Patriarchalium antiquiſſimæ, & probatiſſimi catalogi quinti, ac ſexti ſeculi, ſignari vult *magnus* (ut meritò vocatur a Cl.Cennio) *pontificiæ Chronologiæ aſſertor* Blanchinus. Regula eſt, ſumendam pro initio propriam diem ordinationis, aut electionis, ſive (quod ille inquit in notis ad Evariſtum cit. to. II. Anaſtaſii pag. 76. col.1.) diem, qua quis vel in Epiſcopum *conſecrabatur ad Vicarii munus exercendum ſub vivente Pontifice per eum adjuvando*; vel *quando idem ordinatus, qui Vicarius fuerat conſtante vita Pontificis cooptantis, poſt hujus mortem Cleri ſuffragiis Romanus Pontifex demortui ſucceſſor eligebatur*. Breviùs, regula eſt, diem ſumendam, qua Pontificum quilibet appellari potuerit, atque eſſe cœperit pro modulo inſtitutionis ſuæ Romanus Epiſcopus.

XLVIII. Ea duce ſtabilitur, Romanum Petri Pontificatum cœpiſſe die 25. Aprilis.

Stante hac regula, quam ſolidiſſimam reputo, & ſub qua, ne ſit quidquam inconſtans variumque in Blanchiniano chronologico ſyſtemate, comprehendi decet menſuram Epiſcopatus Petri, notati tamquam primi Romanorum Pontificum per picturas, catalogoſque præfatos, non difficile erit ſtatuere, quid Romæ acciderit die xxv. Aprilis ſpeciatim Petrum tangens, ſi probetur, ad illam initium ejus Romani Epiſcopatus figi in commendatis monumentis. Hoc autem probare non tam arduum eſt obſervantibus, ſuperfluum videri recurſum ad Epocham civilem Urbis conditæ (novum, niſi fal-

fallor, genus signandi facta Christianorum antiquioris ætatis) aut ad paschale tempus conjecturis valde incertis assertum: quæ excogitavit Blanchinus pro concilianda, seu potiùs intelligenda mensura Pontificatus Petri diversimodè expressa in picturis basilicæ S. Paulli, & catalogis plerisque gravissimæ authoritatis, qui ei tribuunt annos XXV. menses II. dies VII., ac in præstantissimis catalogis Felicis IV., tertio Colbertino, aliisque fortasse, qui annos XXV. mens. II. d. III. Planum habent intellectum, & conciliantur cuncta (& quidem simpliciore, adeoque verosimiliore methodo, minimèque inaudita, imò adhibita quandoque per ipsum Blanchinum ratione) si dicatur, non discordare monumenta illa circa initium; sed circa terminum mensuræ: nimirum catalogis Felicis IV., & Colbertino tertio, pro termino accipientibus diem obitus, reliquis sepulturæ forsan sacris exuviis Petri post triduum quatriduumve datæ, quod notum priscis Chronologis, ignotum nobis, quibus interim Historicorum nullus prodit, eas ipso martyrii die fuisse tumulatas. Id autem ubi admittatur (ut ego admittendum reor) jam initium Pontificatus Petri figi dicendum est in memoratis authenticis monumentis ad diem XXV. Aprilis. A die enim obituali, quam fuisse præmonuimus XXIX. Junii, retrocedentes secundùm mensuram catalogorum Felicis IV. & tertii Colbertini, aut secundùm ceterorum a sepultuali præsumpta, incidemus semper in enunciatam XXV. Aprilis.

XLIX. Nempe qua primùm ille Urbe ingressus est.

Quare ex vi allatæ regulæ ponendum est, accidisse Romæ hac die aliquid de Petro, quod æquivaleret ordinationi, electionive ejus in Romanum Episcopum, seu cujus caussa talis ille appellari valuerit. Hoc verò nil aliud esse potuit quàm vel *fundatio* propriè dicta *Romanæ Cathedræ*, seu *translatio*, *affixiove* certa *Primatus* per Petrum acta favore Episcopatus Urbis: vel ἐνθρονισμός seu *incathedratio* ejusdem: vel *adventus*, ingressusve tanti Principis Romam ad ea postmodum exequenda. At priora duo aliis evenisse diebus insinuant assignata eorumdem memoriæ recolendæ diversissima tempora, sicuti docent tum enarrata superiùs, præsertim num. XL., tum enarranda num. LVI. & seqq. Restat ergo, putemus, momentum *adventus* Petri tunc contigisse: momentum, per quod jacta sunt prima euangelicæ prædicationis semina in arce superstitionis (quis enim credat vel tantillò ociosum

ſtetiſſe Apoſtolorum Principem in miniſterio verbi?)momentum propterea, quo primùm propriè vocari debuit ille Romanus Epiſcopus. Id quod verum eſſe monet diverſa inſtituendi Epiſcopos ratio ſub Apoſtolis habita, quam advertit Bacchinius par. I. cit. diſſert. de eccleſiaſt. Hierarch. originibus cap. III. num. XIX. p. 266. probans, in Oriente conſtitutos Epiſcopos poſt converſionem multitudinis Civitatum, in Occidente tales effectos, appellatoſque ſtatim, qui miſſi forent, accederentque ad prædicandum certis locis Euangelium: verum eſſe monet opinio, authoritaſque Baronii tradentis, Petrum regere cœpiſſe Romanam Eccleſiam, ubi Romam advenit, & Romanorum inſtitutioni dedit initium, quemadmodum fert locus num. LIII. promendus: verum tandem eſſe monet, quod ait Tillemontius: *Les Peres ont regardè* (S.Petrum) *comme ayant tousjours eſtè Eveſque de Rome, depuis qu' il eût commencè a y preſcher*. To. I. hiſtor. eccl. art. XXXI. de S. Petro.

L. Hinc conjici, objectum Feſti, quod diſcutimus, eſſe *memoriam* talis *Adventus*. Hæc noſtra opinio.

Hic itaque ille eſt eventus ad annum Æræ chriſtianæ quadrageſimum juxta Blanchinum, alioſque doctiſſimos probabilioris temporum ſupputationis authores, conſignandus: ille inquam eſt, cujus recoli memoriam ipſa, qua contigit, die, ſanxere Petri Succeſſores, & cujus recordationem certè negligere non debuit Roma. Numquid enim inhonoratum abire ſineret eventum, quem tamquam initium bonorum omnium ſuorum (ſicut aſſeretur num. ſequente) ſuſpicere decebat auguſtam Civitatem, eouſque Petro gratam, ut multò leviora ejuſdem geſta ſacris faſtis inſerenda curaverit ad memoriam ſempiternam? Porrò quid minutius, quàm conſecraſſe Petrum in Urbe eccleſiam, condidiſſe baptiſterium? Nihilominus quotannis beneficiorum horumce recordationem celebratam Romæ atteſtatur vetuſtiſſimum Martyrologium Florentinii. *Dedicatio primæ eccleſiæ a B. Petro conſtructæ, & conſecratæ* &c. habet ad Kalendas Auguſti pag. 692. Ad III. Kal. Julii pag. 632., *Dedicatio baptiſterii antiqui Romæ*. Quibus verbis abſolutè propoſitis innui arbitror non baptiſterium Lateranenſe Conſtantinianum ſecundùm notam Florentinii legendam pag. 635. col. I. ſed baptiſterium, quo nullum antiquius Romæ fuerit, ideſt locum, ad radices Exquilini, & Viminialis collis poſitum, a Petro per baptiſmum Romanorum quamplurium conſecratum. Videſis hi-

historicas Blanchini notas ad vitam S. Pii cit. to. II. Anastasii sect. xii. pag. 125.

Quàm verò probabiliter constituam in memoria notati eventus objectum Festi nostri, mirificè ostendit inhærens Missæ titulus, *in dedicatione*, quem supra inutilem probavi ad denotandam consecrationem Vaticanæ ecclesiæ. Alia siquidem nulla, meo judicio, est publica, totique Urbi communis sollemnitas (ejusmodi autem fuisse eo titulo designatam, dubitare quemquam non patitur concessus Missæ locus in publico Sacramentario R. E., & contextus verborum præfationis ejusdem) nulla, repeto, quæ sic indicari poterat compendiosiùs, & clariùs præter anniversariam *Adventus* Petri ad Urbem. Sanè quid Romæ præstitum hoc memorabili eventu? Initium cujusque boni, sive privilegii, honorisve, quibus illa in Christo gloriatur. Nempe initium Episcopatus: initium exercendi ibi Primatus, seu initium supremæ illic collocandæ, fundandæque Cathedræ sacerdotalis: initium aliorum, quæ ex istis, veluti regiis fontibus, dimanant. Unde non impropriè, aut ineptè Festum *Adventus Petri ad Urbem* vocaveris Festum *initii*, seu *magni principii Romæ sacræ*, aut Festum *initii* absolutè, tam facilè intelligendum pro initio Romæ sacræ; quum nullum aliud initium Urbi augustius ac celebrius, quàm facilè intelligitur festum *Natalis*, festum *Cathedræ* pro festo *nativitatis Dñi*, & festo *Cathedræ S. Petri*; quum Natalis nullus, Cathedra nulla his augustiores celebrioresque sint. Quid verò *dedicatio*? Etsi vox ista (quod visum num. xxiv. & xxv.) adhibeatur pro significandis quibuscumque celebritatibus, suapte tamen natura, sive germaniùs, & magis propriè *initium*, *principium* significat; ex quo colligi potest obiter, cur transferri sæpè soleat ad exprimenda festa, quæ *natalia* præcipuè dicuntur, hoc est, vitæ alicujus Sancti, aut sacræ actionis initia. Certè *dedicare*, unde *dedicatio*, est *incipere*, rectè adnotante Du-cangio in Glossario latino, quo loco rem variis authorum testimoniis confirmat. Dedicare (sic vir infinitæ eruditionis) *incipere*. *S. Cyprianus epist. 32. de lectore: hac die auspicatus est, dum* dedicat *Lectorem*. *Commodianus instr. 53.* LI. Quæ cōfirmatur ex titulo marginali pluries allegatæ Missæ.

Ille parat dona, ille pro victoria latus

Suscipit, & proprium satellem dedicat *esse*.

Gesta Constantini Magni: Palatium usque ad perfectum fecit, quod non dedicavit, *idest, incœpit*. *Vox etiam Tertulliano fa-*

mi-

miliaris. Ipse præterea *dedicatorem primum* appellatum reperio, qui aliquando dictus sit *princeps* cujuspiam actionis. Accipe documentum e duobus pervetustis Sacramentariis conflandum. In Sacramentario, cujus explicandi gratia hæc maximè scribimus, ad præfationem unius ex missis pag. xxxv. cit. prolegom. to. IV. Anast. præscriptis, III. *nonas Aug. natale S. Stephani in cœmeterio Callisti via Appia*, Protomartyr beatissimus vocatur *Levita venerandus*, *castitatis exemplum*, *fidelis apostolicæ dispensator alimoniæ*, *novi Testamenti inter contradicentes promptus adsertor primus cœlestis martyrii dedicator*. Sed collectio, quæ legebatur ad missam natalis ejusdem relatam in missali Gothico, seu Gallicano vetere apud codicem Sacramentorum Thomasianum p. 269. habet: *Deus, qui Sancto Stephano Martyri tuo & principatum in ministerio, & principem in martyrio contulisti... exaudi, quæsumus, supplices familiæ tuæ precibus* &c. Aliàs observatu dignum videtur, quod loca *dedicari* per memorabilem aliquem adventum ecclesiasticus stylus adhuc dicere permitteret, qui *consecrandi* verbum pro *dedicandi* promiscuè accipi solitum (uti meminimus cit. num. xxv.) ad id nonnumquam usurpat. *Jesus Christus ... mundum volens adventu suo piissimo consecrare... natus est* &c. inquit Romanum Martyrologium ad xxv. Decembris Dominicæ nativitati sacram.

LII. Varia, quæ huic opinioni opponi possent.

Non me fugiunt, quæ his, quinimò summæ opinionis propositæ (1) plerique objicient, seu potiùs objicere pergent. Apud Doctos numero non magis, quàm authoritate præstantes (sic illi) exploratum est, Petrum advenisse Romam die XVIII. Januarii. Galesinius, Ciacconius, Severanus, Phœ-

(1) Objici omnium, quæ audivi, gravissimum illud etiam posset, quod hæc scribens eruditissimum Petrum Franciscum Fogginium S. T. D. egregio in Opere *de Romano D. Petri itinere & episcopatu* objicere invenio laudato Blanchino, dum systema, & opinionem hujus de assignanda declaratione Primatus ad diem 25. Aprilis impugnat Exercitatione XIX. pag. 446. & seqq. nempe, nonnisi *miraculo* intercedente, Petrum Romæ degere potuisse eo die; quippe quòd inter istum ac momentum liberationis B. Apostoli de manu Herodis paucissimi dies effluxerint. Et hoc, inquam, mihi objici quiret. Sed quo detrimento? Nullo aut meæ, aut Blanchinianæ sententiæ. Sanè *miraculo* opus fuisset juxta chronotaxin Pontificatus Petri, quam sequitur Cl. Fogginius. Hanc verò nec Blanchinus, nec ego sequor, atque ea, quæ Blanchiniana prorsus est, & mea, *miraculum* minimè postulat. Vide, Lector, doctissimi Præsulis chronotaxin cit. to. II. Anastasii in Prolegomenis ad pag. CLXXII. col. 2. & in notis ad pag. 17. ac 18. &c. eamque confer cum memorata in d. Exercitatione XIX.

Phœbæus, Bacchinius, Blanchinus &c. hoc existimant; nec sine veteris traditionis, & Patrum testimonio. Bacchinius cit. par. I. dissert. de originibus &c. cap. III. num. IV. p. 198. *Nonnisi prima Februarii anni quadragesimiprimi* (Æræ christ.) *Claudius imperare cœpit; atque adeo, si fundatam, ut vetus fert traditio, Romanam Cathedram velimus Januario mense, anno saltem quadragesimo currente, Romam Petrus venerit necesse est*. Phœbæus ad pag. XCVI. dissert. de Cathed. Romana: XV. *Kal. Februarii authorest Eusebius, Petrum Apostolorum Principem Ecclesiam Romanam fundasse, & in ea Cathedram erexisse. Idipsum comprobat Paulus Orosius S. Augustini discipulus* &c. Insuper ad celebrandam ejus adventus memoriam putant institutam celebritatem Cathedræ. *In urbem Romam* (pro cunctis loquatur Petrus Galesinius in Martyrologio ad XVIII. Januarii) *ingressus est* (Petrus) *hoc ipso die, qui propterea prisco Ecclesiæ instituto, & consuetudine ad Romanæ B. Petri Cathedræ celebritatem institutus, post aliquando intermissus, in usum, & veterem ritum Pauli IV. Pont. Max. decreto piè revocatus est*. Adstipulatur ipsius Romani Pontificis authoritas. Nam, dum Paullus IV. in decretò renovante Festum Romanæ Cathedræ (de quo Galesinius hic, & nos supra) dicit, quod *Petrus Romam veniens Cathedram in eo* constituerit *episcopalem*, &, *festivitas ipsius Cathedræ juxta antiquissimorum Patrum testimonium* celebrata dudum fuerit, insinuare videtur, Festum adventus Petri addictum fuisse a Majoribus ad eam diem Januarii. Frustra igitur collocatur ad XXV. Aprilis momentum splendidissimi eventus; adeoque objectum aliud expiscandum in discusso titulo, Missave Sacramentarii Veronensis.

LIII. Baronius non sensit Adventum Petri accidisse die 18. Januarii.

Et ego similia colligerem, nisi ita disputantium machinam parum soliditatis habere perspicerem. Siquidem, quod attinet tot Doctorum authoritatem, dico primùm, in aliam fortè sententiam ituros, si hac ætate scriberent, qua major chronologicis tenebris lux facta est, & editio intercessit illustrium, quæ latuerant, plerorumque antiquitatis monumentorum. Deinde, si authoritas, gravitasque Scriptorum hac in re quæritur, præsto forsan mihi esset magnus Cardinalis Baronius, qui, licèt circa diem, nedum circa annum (id postulante ejus Chronotaxeos pontificiæ nunc fermè ab omnibus deserto systemate) nobis consentiens minimè sit, negare no-

nobiscum videtur tacitò, adventum Petri in Urbem affigendum præfatæ diei XVIII. Januarii, dum ait indefinitè ad annum XLIV. num. VIII. *Secundo anno Claudii Imperatoris; sed in fine ipsius, Romam veniens* (Petrus) *ac prædicans Euangelium eam erigere cœpit ecclesiam*.

LIV. Et nullus veterum tradidit accidisse hoc mense.

De traditione, atque testimonio Patrum quid dicam? Traditio *vetus* est, Romam venisse Petrum, & Cathedram fundasse. Traditio *vetus* est, festum Cathedræ Romæ etiam mense Januario celebratum. At, quod fundatio Cathedræ, adventusque Petri eo acciderit mense, tam certò recentiorum authorum cogitatio est, quàm omninò falsum signari mensem, diemque adventus Petri per Eusebium, Orosium, aliosque, si qui suggeri velint, Patres. Eusebius in Chronico, quod Phœbæus allegat, hoc tantùm profert. *Petrus Apostolus, quum primus Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Euangelium prædicans* XXV. *annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat*. Orosius lib. VII. historiar. cap. VI. *Anno ab Urbe condita* DCCXCV. *Tiberius Claudius ab Augusto quartus regnum adeptus est . . . Exordio regni ejus Petrus Apostolus D. N. Jesu Christi Romam venit, & Salvatorem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Atque exin Christiani Romæ esse cœperunt*.

LV. Sed neque Paullus IV. in Constitutione de festo Cathedræ.

Gratis propterea afferitur, adventum Petri, & fundationem Cathedræ (pro *incathedratione*, de qua infra, neutiquam sumptam) cœpisse celebrari per festum Romanæ Cathedræ. Paullus IV. adductis verbis affirmat explicatè, accessisse Romam Petrum, Cathedramque ibidem constituisse; non verò scribit, quo momento advenerit, nec an statim Cathedram constituerit: affirmat ex testimonio Patrum, celebratam festivitatem Cathedræ die XVIII. Januarii; non tamen exprimit, quodnam crediderint Patres objectum maximæ sollemnitatis: restaurat hanc Paullus; sed, quale illud ab initio fuerit, nullatenus significat. Satis, opinor, visum piissimo, & acerrimo Cathedræ Apostolicæ vindici, restituisse quidquid edacitas, vel iniquitas temporum forsan abstulerat. Profectò quicumque data verba, & reliquum Paullinæ Constitutionis expenderit, haud aliter sentiet.

LVI. Die 18. Januarii *incathedrationem* Romanam S. Petri secundùm Eckium & Baronium celebrari.

Nec, si nos ideam Festi adventus Petri a XVIII. Januarii proturbemus, ignotum fiet, aut nullum celebritatis hujus diei objectum. Cur non potiùs arbitremur, per festum Romanæ

næ Cathedræ recoli cœpisse ἐνθρονισμὸν Petri post datam Urbi formam Christianæ Ecclesiæ actum;quam video esse opinionem doctissimorum hominum, præsertim Baronii, & Johannis Eckii? Baronius ad annum XLV. num. I. *Durante adhuc anno secundo Claudii, decimo quinto Kalend. Februarii a Petro Apostolorum Principe Romana Ecclesia constituitur, ac* (1) *Sedes in ea pontificia* (*ligneam* hic intelligit, ut liquet conferenti hæc cum notatis postea num. XI.) *erigitur. Ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniversaria celebritate consuevit antiquitus celebrari*. Eckius homil. de *Cathedra* apud Phœbæum cit. dissert. pag. LXIV. ex to. II. illius Operum. *Petrus Romam venit; ubi, quum magna hominum multitudo ad fidem jam esset conversa, erexerunt ei hic quoque Cathedram magnificam, & ipsum desuper imposuerunt: ibi rexit annis* XXV. &c.

LVII. Secundum Papebrokium dedicationem lignee Romanæ Cathedræ.

Cur non potiùs complectamur eam, in quam illustris continuator vastæ Bollandianæ collectionis Papebrokius inclinat sententiam, to. V. Junii ad diem XXIX. §. XIII. citator. analector. &c. de Festo utriusque Cathedræ num. 151. & 152. p. 460. col. I. inquiens: *Facit nomen dedicatio* (quod in pluribus Kalendariis, & Martyrologiis inditum visitur festo Romanæ Cathedræ, uti pandunt enarrata cit. num. XXV.) *dubium me, intelligendane hic omnino sit ipsa a Petro facta Cathedræ constitutio, an verò ejus ex loco, ubi antea servabatur, in basilicam Vaticanam illatio, ac verissimè dicta dedicatio .... Duplex Cathedra tunc primùm nominari cœpta, cùm ipsa materialis sedes, in qua Romæ* (Petrus) *sederit, Romæ quoque dedicata fuit fortassis a Sylvestro, vel proximorum successorum aliquo?*

LVIII. A Baronio, & Eckio nihil non probabile assertum.

Eckii, & Baronii sententia sua probabilitate certè non caret. Simillimum enim vero, habitam Romæ quamdam Petri *incathedrationem*, quam Antiochiæ pridem factam tradunt non recentis œvi Scriptores. De Antiochena *incathedratione* antiquissimus Author Recognitionum S. Clementi PP. attributarum lib. X. sub fine. *Theodorus, qui erat cunctis potentibus in civitate* (Antiochena) *sublimior, domum suam in ingentem basilicam ecclesiæ nomine consecravit, in qua Petro Apostolo consti-*

F

(1) V. quæ de ejusmodi Sede notat Lud. Thomassinus in Comment. de Festorum celebrat. lib. II. cap. X. num. VIII.

ſtituta eſt ab omni populo (1) *cathedra*, *& omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum veniens accedebat ſanæ doctrinæ, quam ſanitatum efficacitas adfirmabat*. Aliàs *incathedrationem* Romanam ſonant S. Paulini verſiculi, qui portio ſunt hymni de ſollemnitate Romanæ Cathedræ legendi pag. 47. Hymnarii Thomaſiani, & Petrum alloquuntur: ſermo, *in Cathedra S. Petri*, Leonis Magni nomine ornatus pag. 379. to. 1. Operum ejuſdem edit. Pariſ. an. 1675. necnon locus Martyrologii Uſuardini ex Matric-Charthus-Ultrajectino codice in auctariis Sollerianis poſt obſervationem citatam ſupra n. XXXII. allegatus. Verſiculi S. Paulini.

Adeſt dies, quo Romulea
In urbe conſecratus es,
In quo Cathedra nobili
Scandens thronus ſuſtolleris.

Sermo S. Leoni adſcriptus. *Cùm dies martyrii ejus* (Petri) *meritò habeatur in toto Orbe clariſſima, hæc non impari eſt totius Eccleſiæ ſanctæ gaudio celebranda. In illa ſiquidem, alternantibus hymnidicis Angelorum choris, eſt ineffabiliter coronatus: in iſta verò, exultantibus undique fidelium turmis, Pontificali Cathedra cum magna gloria eſt ſublimatus* &c. Locus Martyrologii ad XVIII. Januarii. *Priſcæ virginis, & martyris. Coronatio* (2) *S. Petri. Moſei, & Ammonii militum & MM.*

LIX.
Uti eti m a cōtinuatore Bollandi.

Neque irrationabilis interpretatio Papebrokii videri meretur cuicumque vel ſolas meditanti formulas annotandi feſtum vigeſimæ octavæ Januarii in Martyrologio, Miſſali, ac Breviario Romanis noviſſimis, imò in ipſa Paulli IV. Bulla (ut nihil dicam de ſimilibus inveniendis apud vetuſta Hagiologia, quorum exempla prodita ſunt cit. num. XXV.) occurrentes: *Cathedra S. Petri Apoſtoli, qua primùm Romæ ſedit*: *in feſto Cathedræ, qua Petrus Romæ primùm ſedit*: in quibus neſcio quid *materialis* ſedis odorari licet: formulas, queis nonniſi violenter (ubi deferas Bollandiani continuatoris ſententiam) accommodaveris explicationem ab ampliſſimo Card. Guillelmo Sirleto excogitatam. *Perchè S. Pietro* (verba Sirleti in epiſtola ad Card. Simonetta producta a Phœbæo

(1) Circa *cathedram* iſtam nonnulla egregiè Joh. Bapt. Cotelerius par. II. Collect. SS. Patrum temporum Apoſtolicorum in notis p. 401. col. 1.

(2) Author exemplaris hujus Martyrologii Uſuardini ſtylo temporis forſan loquitur, quo poſt *incathedrationem* Romani Pontiff. *coronari* cœperant.

libro p. civ. cit. differt.) *non stette venticinque anni sempre fermo in Roma; mà come dice S. Epifanio, & altri buoni autori, mò andava in una parte del Mondo, mò in un altra, secondo che il bisogno delle chiese richiedeva, e per questo dicono* primum sedit *per notare il dì certo, che fù* xv. Kal. Febr. De reliquo Papebrokius suæ vadem interpretationis habet Panvinium, qui *agens* (ut ait ibidem Phœbæus p.cxxx.) *de Cathedra* (S.Petri) *lignea* scripsit in Opere nondum edito memorabilium basilicæ Vat. lib.v. cap.iv. *In cujus memoria solemnis dies festus antiquissimis temporibus in eadem basilica* xv. *Kal. Februarii celebratur*.

LX. Opinio, quæ objectum nostri Festi vult esse *Primatus*, & *Cathedræ* memoriam, aliquomodo cōciliari potest cum nostra.

Viden', Lector, ut absque dispendio statutæ per nos conditionis Festi vigesimæquintæ Aprilis aliquod contingere potuerit, quod Petrum respiciat, genus eventus, cujus memoria primariò celebrari cœperit die xviii. Januarii? Primariò, dico; quia non immemor sum relatæ superiùs ad numerum xxxv. Baronianæ opinionis. Stet ergo immotum, Patres nostros grata celebritate recoli voluisse primò rememorata die momentum *Adventus* Principis Apostolorum, seu momentum, quo ille Romanus Episcopus primùm propriè fit appellatus, quemadmodum paullò antè affirmabam. Et hìc tenes super objecto Festi verosimiliorem sententiam. Quam tamen dum excogito, amplectorque, non tam immaniter disto ab opinionibus supra discussis, nec omnino (caussâ præsertim debilitatis rationum ad eas stabiliendas productarum) approbatis, ut cum illis eamdem quoque componere aliquomodo nequeam, & conciliare. Celebratum volunt alii vii. Kal. Majas aut simpliciter Primatum Petri, aut Primatum Romanæ Ecclesiæ supra ceteras, aut declarationem affixionemque Primatus factam favore Romani Episcopatus, aut fundationem Romanæ Cathedræ, aut sollemnitatem Cathedræ, quæ nunc recolatur xv. Kal. Februarii? Volo & ego; dum horum omnium initium, idest radicem, originemque celebrari censeo (sicuti monent pronunciata num. li.) in memoriam *Adventus Petri* ad Urbem, susceptive tunc per illum Romani Episcopi & nomen, & officium, cui reliquæ amplissimæ prærogativæ annexæ sunt. Quin ita sentiens, Æram Romanopontificiam cum doctissimo Bianchino ad eam diem non solùm figo; verùm etiam firmiore, & planiore forsan ratione stabiliri posse suggero. Quod rem totam attentè pensaturi nullo negocio deprehendent.

LXI. Forsan & illa, quæ vult esse, *Dedicationem basilicæ* Vaticanæ.

Placet aliis veteris alicujus Consecrationis Vaticani templi celebritatem ad illam diem collocare? Et mihi placebit; dummodo de Consecratione ejusmodi certiora clarioraque documenta proferantur, & sine præjudicio, seu detrimento Festi S. Petri. Nam, quamvis (juxta notata num. xx.) habeam pro explorato, sollemnia dedicationum basilicarum anniversaria, quum feliciora decurrerent Christianismi secula, ex instituto Ecclesiæ addicta fuisse Dominicis, id intelligi cupio temperatè, hoc est, quod non inficiar, ea quandoque celebrata fuisse Romæ, alibique illis reliquæ hebdomadæ feriis, quas alia decoraret singularis festivitatis lætitia. Sic *Dedicatio Exquilinæ Petri ecclesiæ* prima Augusti recolebatur, quam illustrem reddebat (ut sileam celebritatem *Absolutionis a vinculis* notatam in Martyrologio Florentinii, & num. cccxcii. veteris Lectionarii missæ apud volumen antiquar. missar. R.E. Thomasianum par. ii. p. 112. col. 1.) *Machabæorum* sollemnitas. Testis Leo Magnus in sermone de natali eorum dicens: *Gratias, dilectissimi, agamus Domino, quod, quanta sit hujus diei* (1. Augusti) *solemnitas, etiamsi taceam, conventus vester ostendit .... Duplex enim causa lætitiæ est, in qua & natalem ecclesiæ colimus, & Martyrum passione gaudemus.* Sic festum *Dedicationis basilicæ S. Michaelis Archangeli* celebrabatur Romæ die xxix. Septembris; at non solum. *Non tantùm hac die dedicatio celebratur, sed etiam memoria specialis S. Michaelis Archangeli; hinc proprium adscribitur Euangelium*, notat ad Kalendarii sui verba, *Die* xxix. *mens. Sept. Dedicatio ecclesiæ Archangeli*, commendatus pluries Fronto. Ceterùm ea die festum itidem actum Angelorum omnium insinuat tum Euangelium illic indicatum, *accesserunt ad Jesum*, usque, *semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis*: tum Oratio, *Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas*, cum reliquis descriptis pag. 40. Orationalis Ven. Thomasii: tum pars maxima ad celebritatem S. Michaelis pertinentium divinorum Officiorum, quæ collegit idem Cardinalis in citatis Missalibus, Antiphonariis, Responsorialibus &c. R. E. voluminibus: tum secunda oratio, & præfatio missæ quartæ inter exhibitas, sub tit. *Pridie Calendas Octobris*. *N.* (nimirum *Natale*) *basilicæ Angeli in Salaria*, per Sacramentarium Veronense pag. xxxix. citator. Prolegomenon ad to. iv. Anastasii. Sic celebrabatur Turonis *Dedicatio basilicæ S. Martini* die,

die, quæ honori consecrata erat *Translationis*, ac *Ordinationis* ejus, ideſt IV. Nonas Julii. Vide Martyrologium Adonis ad hanc diem, & tomum V. Junii Bollandiani pag. 475. n. 225. §. XX. cit. analector. &c.

LXII. Quando inſtitutum Feſtum noſtrum, veriſimiliter agebatur publica, maximaque pompa.

Sed in explicando objecto Feſti jam nimiùm. Advertat nunc per ſe, qui legit, recte ne, an perperam judicaverim num. V., talis illud indolis eſſe, ut ad inſtitutionem ſui ſollicitare quiverit vel Apoſtolicorum temporum Pontifices; ſaltem dignum putet, quod celebraretur, quando inſtitutum eſt, auguſtiore conſueto Romanæ Eccleſiæ ritu, apparatuque. Ego utique hoc factum fuiſſe non ambigo. Quapropter ad poſtremam *Enarrationis* partem tandem accedens ajo, Feſtum noſtrum, hoc eſt, memoriam *Adventus* Petri ſuæ tempore originis Romanis adſcriptam fuiſſe veroſimillimè ſplendidioribus ſollemnitatibus, quas *indictio ſtationis*, *collectio populi* (cum Pontifice & Clero) *proceſſio*, *& ſtatio* ſecundùm earum naturam expreſſam a Frontone §. VII. prænotatorum ad Kalendarium, ſive (ut paucioribus res explicetur) *ſollemnis proceſſio* decorabat. Certè non omnes Romanæ feſtivitates collectis, & proceſſionibus ſollemnibus celebrabantur. Teſtes rubricæ veterum Liturgicon codicum, & Index collectarum, ac ſtationum Urbis, editus a Mabillonio pro Ordine XVI. to. II. muſei Ital. p. 544. in quibus non paucæ feſtivitates tantùm denotantur per indicationem loci ſtationi aſſignati. Novit diſcrimen modò laudatus Mabillonius, atque ita expoſuit. *Cleri Romani proceſſio in ſtationes duplex eſt, ſollemnis, aut privata. Hæc fit, cùm unuſquiſque privatim in locum indictum* (pro ſtatione habenda) *ſe recipit. Sollemnis verò, cùm ſollemni more, decantando letanias, aliaſque preces, Pontifex, aliique omnes eò ſeſe recipiunt. Proceſſiones ſollemnes præcedit Collecta, ideſt coadunatio Clericorum in una eccleſia, ut ex ea, quaſi agmine facto, in locum ſtationis procedatur: ſic dicta, quòd in eo loco Clerus cum populo colligatur ad faciendam proceſſionem ſollemnem*. Comment. ad ordines Romanos §. V. pag. XXXI.

LXIII. At minùs ſollemni circa tẽpora S. Gelaſii PP.

Quando Sacramentarium codicis Veronenſis conſcriptum eſt (quod factum credunt, ut alibi monui, vel ſub Leone, vel ſub Gelaſio I.) forſan vacare cœperant ſollemnis proceſſio, collectaque Feſtum noſtrum præcedentes. Nam formulæ, ac titulus Miſſæ ibi notatæ, recuſæque hic num. II. ſicuti plura, quæ non obſcurè ſignificant ſecundùm animadverſa nu-

numero XXII., ſtationem pro eadem celebranda fuiſſe habitam ad Vaticanum, ita nihil afferunt, per quod collectam, proceſſionemque illas præceſſiſſe deprehendamus. Aſt pejora contigiſſe non multò poſt, ſuſpicari licet perluſtrantibus laudati Gelaſii (1) certius (tale autem, me judice, demonſtrant rationes ab Editore allatæ in præfatione ad Sacramentorum codices) Sacramentarium, quo nec minimum Stationis, ſeu Miſſæ noſtræ ad XXV. Aprilis, aliamve diem veſtigium extat.

LXIV. Sub eodē Pontifice fortaſſis ejus publica celebratio ſuppreſſa.

Unde autem hoc? An credam mutilum Gelaſianum Ven. Thomaſii? An Romanos negligere voluiſſe prorſus initii maximarum rerum memoriam? Neutrum. Opinor potiùs, in nova Officiorum R. E. recenſione Gelaſii præteritam fuiſſe Miſſam, Stationemve enunciatam, quòd placuerit, ex cauſſa (2) nobis uſque huc incognita, Feſtum per eam celebratum localibus Vaticanæ baſilicæ annumerare. Quo fiebat, ut ſecundùm memoratam num. XIX. conſuetudinem nullus ampliùs in publico, communique omnibus Sacramentario locus eſſet Miſſæ, pro more deinceps in peculiaribus Cleri S. Petri liturgicis libris deſcribendæ.

LXV. An redintegrata ſub magno Gregorio?

Ludis, aut ſomnias, inquient hìc aliqui. Si verum hoc, pervetuſta, quæ ſuperſunt, Vaticanæ eccleſiæ ritualia ſcripta ſplendidæ ſollemnitatis memoriam quoquomodo ſervaſſent, uti ſervant obſoletarum aliarum aliquot, quas recognoſcere poteris lectione ſaltem Kalendarii, Antiphonarii alibi memorati, necnon Ordinis XI. inter Mabillonianos, ſeu Benedicti Canonici: quinimò ſervaſſet Feſtum illud cum aliis inſtitutis ſuis Clerus, quem paternarum traditionum tenaciſſimum fuiſſe ſemper, & a Doctis (3) jamdudum, & a te prædicatum eſt ſect. I. Prologi ad Lucubrationem &c. §. XI. Hactenus illi, nec malè, adderem, niſi prævalidæ conjecturæ ſuaderent, quod nova methodus radices minimè fixerit. Ecce enim proximè ſecuto Gelaſii ætatem ſeculo providentia magni Pon-

(1) Hoc ajo comparatè ad Veronenſe, quod ipſe S. Leonis interpolatum eſſe puto.

(2) Cauſſa forſan, quòd ſuperflua viſa ſit miſſa, & ſtatio hæc publica; quum auguſto ritu etiam quotannis coli ſoleret in *natali* cujuſvis viventis Romani Antiſtitis memoria initi a Petro Epiſcopatus. Hujuſmodi cultum ſatis probant mihi Sermones S. Leonis de Natali Cathedræ, aſſumptionisve ſuæ, præcipuè tertius, epiſtola VIII. Hilari PP., & obſervata a Thomaſſino lib. II. de Feſtis c. X. §. V. ac VI. &c.

(3) Unus ex iſtis Joh. Chriſtoph. Battellus. Vide ejus libellum de ritu abluendi altare Vaticanum &c. cap. IX. num. IV. & VIII.

Pontificis Gregorii effectum, ut publicè, & ab omnibus quandoque Petro præstitus honor redintegraretur, seu reflorescеret sub specie, tituloque, sive meliùs sub involucro celebritatis longè diversæ, quæ tum in publicis, & communibus toti Romanæ Ecclesiæ, tum in privatis Vaticani Cleri liturgicis codicibus annotanda foret; videlicet *Litaniæ majoris*, quam (si reminiscimur dicta num. XLIV.) aut vagantem pridem per anni circulum, aut non semper directam ad S. Petri Magnus ille præfatis diei, & ecclesiæ affixit, quando *stationes* (*antea vagas, ac certis ecclesiis scripto non addictas*, quod ait Mabillonius cit. §. V. Commentarii prævii) *sollicitus* (quod fert Johannes Diaconus lib. II. ejus vitæ cap. XVIII.) *ordinavit*.

LXVI. Redintegrationis varia indicia.

Verissimè autem refloruit tunc priscus honor Principis Apostolorum, non ex natura, atque indole *majoris litaniæ*, quam pœnitentialem celebritatem esse ostendimus num. XLV. sed quia per affixionem ejus ad XXV. Aprilis dies isthæc, & basilica S. Petri publicum Stationis splendorem, quem amiserant, recuperarunt. Id quod rursum excitabat recordationem primitivi conventus, primitivæ sollemnitatis. Refloruit, quia, quum litaniæ celebritas (1) per progressum Romani Pontificis, ac Romani universi Cleri cum populo agi deberet apparatu, rituque maximo ad tumbam laudati verticis Apostolici Senatus, Romana tum tota, imò universalis Ecclesia videbatur ad honorandam principii sui memoriam, profitendamque imbutam tanto sub Magistro fidem accedere. Quæ porrò solet esse idea ejusmodi progressuum singularibus quibusdam occasionibus ad Vaticanum agendorum: idea nunquam in eadem Ecclesia Romana extincta, sicuti probat, quod egit Paullus IV., restituto Festo Romanæ Cathedræ. *Paullus IV.* (ita, post Panvinium in ms. codice de rebus, & præstantia basilicæ S. Petri lib. V. cap. IV., Phœbæus cit. dissert. p. CLVII.) *sollemnem Romani Cleri supplicationem die* XVIII. *Januarii ad cathedram S. Petri ligneam, tamquam ad veritatis magistram, divinorumque interpretem arcanorum singulis annis faciendam instituit*. Tandem refloruit, quia vidit iterum Roma distributum ad Vaticanam ecclesiam ea die post stationalem missam consuetum distribui presbyterium, quo nihil aptius,

(1) Notas omnes splendidiorum Romanarum sollemnitatum, quas descripsimus num. LXII., cumulatas in hac Gregoriana diei 25. Aprilis ostendit Liber Pontificalis, obcœcationem nefariam S. Leonis III. narrans num. 368. & 369.

aptius, nihil efficacius, nihil promptius ad revocandam in memoriam Romanorum Petri dignitatem, ac beneficentiam tali momento ex primæva institutione recolendas. Conferantur asserta per nos cit. Lucubrat. Par. II. sect. iv. & v. cum enarratis hìc num. LI.

LXVII. Dies, & meta litaniæ majoris stabilita a S. Gregorio intuitu hujusce redintegrationis.

Ceterùm absit, putes non intendisse Gregorium in prælibatam redintegrationem, quando litaniæ majoris *ordinavit* celebritatem. Nam cur non? Casune delecta est a sapientissimo Pontifice e tot anni diebus vigesimaquinta Aprilis, atque inter basilicas delecta Vaticana? Ignorabatne maximus Doctor, quid Roma illic tum celebrare paullò ante consuevisset? Cur pœnitentialem pompam intra tempus paschale, tempus lætitiæ & jucunditatis, perpetuò concludendam instituit? Nonne quia etiam ejus opportunitate festivum aliquid recoli voluit? Quidnam verò, nisi memoriale veteris beneficii ea die Romæ collati? De reliquo providus Antistes nonnihil inseruit ipsi sollemnitatis actioni, quod, quum rectâ Petrum pertingat, ejus quoque honori tunc litatum, posteris indicaret. Scilicet geminam in *atrio* Vaticanæ ecclesiæ, sive in agendæ stationis limine dandam sanxit orationem Petri nomen, intercessionemque personantem. Prima est. *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & sperantes in tua misericordia, intercedente B. Petro Apostolo tuo, cælesti protege benignus auxilio. Per*. Secunda. *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente B. Petro Apostolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam consequamur. Per*. Videsis Pamelianum Gregorii (1) Sacramentarium, aut Orationale Thomasianum pag. XXXII.

LXVIII. Quare nulla de Festo nostro missa in Sacramentario Gregoriano?

Quod si petas, quare non potiùs Missam toties memoratam restituerit Sanctissimus Pontifex, in promptu responsio est. Volenti (sicut suggerit cit. Johannes Diaconus ejus biographus lib. II. cap. XVII.) veteres *coarctare*, & novas *superadji-*

(1) In Sacramentario H. Menardi recuso ad to. III. Operum S. Gregorii edit. PP. S. Mauri legitur gemina hìc data oratio p. 91. sub tit. *Fer. II.* (ante Ascensionem) *in Letania majore* cum aliis orationibus diversis a relatis in Pameliano ad d. XXV. Aprilis. Ex quo dubium, an verum absolutè sit, quod asserit clariss. Editor in nota 380. hoc est, primam Rogationum per titulum illum præsignari. Certè nulla connexio esse potuit geminæ illius orationis cum hac litania, quam constat numquam actam ad S. Petri. Opinarer ipse, descriptorem codicis a Menardo vulgati eo loco mirè confudisse dies, ususque litaniæ primæ Rogationum, & *majoris* Gregorianæ, de qua nec verbum habet ad XXV. Aprilis.

peradjicere e ſacris, quæ ordinabantur, precibus, juſtius viſum, ſervare publico ritu uſitatam miſſam litaniæ majoris, quàm ſublatam aliam de publicis Sacramentariis reſtituere. Acceſſit, quod vigente per illud tempus in animis Romanorum memoria antiquæ celebritatis B. Petri, credere debuit Gregorius nulli non clarum perviumque, haud ſolam litaniam majorem tali tempore celebrari, ubi attenderentur circumſtantiæ univerſæ actionis, quas ſuperiùs obſervavimus.

LXIX. Poſt magnum Gregoriũ paullatim obſcurari cœpiſſe memoriam Feſti. Quibus cauſſis?

Illud ultrò fatemur, per ejuſcemodi Feſti noſtri renovationem (ceterò excogitatam ſapientiſſimè) peramplam præparatam viam ad obſcurandam, minuendamque ejuſdem recordationem reſpectu poſterioris ætatis. Et planè mirabile fuiſſet, ſi, qui ſuccedentibus Gregoriano Pontificatui vixere ſeculis, vividam vegetemque aluiſſent vetuſtioris ſollemnitatis memoriam; quum nullam in honorem Divi Petri miſſam ingererent Sacramentaria: quum in codicibus omnibus eccleſiaſticorum curſuum, Kalendariis, aliiſque ſimilibus ſcriptionibus, vii. Kal. Majas ſola deſcribi aſſueviſſet litania major: quum hæc ipſa litania non Romanæ Eccleſiæ propria tantùm videri occœpiſſet, piiſſimo Inſtituto per totum Occidentem paullatim propagato, rem teſtificantibus quamplurimis omnium ferè nationum Hagiologiis, & liturgicis libris: quum denique ad præfatam diem cumulata pariter foret feſtivitas S. Marci Euangeliſtæ, quod apud Latinos accidiſſe diu poſt S. Gregorium norunt, explicaruntque Eruditi, maximè Bailletus ad to. i. vitar. SS. in Aprili, & to. iv. ubi de litania majore. Quocirca arbitror, non multò poſt ſeculum Chriſti ſeptimum obſcurari cœpiſſe notitiam primigeniæ celebritatis. Quæ deinceps obſcuritas incredibiliter aucta eſt, quando (intervenientibus præcipuè pleriſque ex cauſſis, quas agglomeravimus cit. Lucubrat. Par. II. ſect. ix. ſ. x. & ſeqq.) Pontifex ſummus ad ſupplicationem diei accedere, miſſam ritu maximo canere, ſtationemque agere deſiit ad Apoſtolicam Confeſſionem; atque inſuper gemina illa prætermiſſa eſt Oratio, de qua penultimo ſuperiori numero.

LXX. Num ejuſdem veſtigiũ aliquod ſit ætate noſtra?

Obſcuratam dixi, non extinctam interciſamve notitiam. Nam ex variis apparet, tanta eccleſiaſticarum Romanarum conſuetudinum ſubverſione haud obſtante, viros extitiſſe, qui eamdem cuſtodierint; quinimmo ſtuduerint, ne priſcus ille, tot ſeculorum decurſu conſecratus, honor Petri penitus

evanesceret. Profectò semper directa (1) est, ac etiam ætate nostra dirigitur ad basilicam Vaticanam litania major, antiquis (2) aliis supplicationibus, quoad earum metam, mutationem aliquando passis: elucet in memorato a nobis Par. II. sect. vii. §. xi. & in notula ad §. vi. sectionis viii., Eruditis (3) noto, ac hujusce litaniæ (4) magis proprio usu, loco, modoque invocandi S. Petrum, leve monumentum, seu potius subrogatio quædam, geminæ Orationis in *atrio*, uti prænunciavimus, ex institutione magni Gregorii dicendæ: &, quod summè notabile, sollemnis publicusve mos distribuendi presbyterium, etsi nulla præcedat ampliùs Statio, Missæve celebratio, cujus erat veluti coronis, durat adhuc. Quæ, quum apertissimè referantur in Petri honorem, nemo non perspicit, pro vestigio, reliquiis, particulis (voca, ut lubet) habenda esse vetustissimi, eumdem celebrandi caussa instituti Romæ, Festi.

LXXI. Epilogus.

Atque hic consistam, oportet. Quandoquidem juxta propositum enarravi; quid (5) de illo, re maturiùs librata, sentiendum judicem. De institutione Festi luculentissimè signata in gravissimo monumento dubitari non potest. Sed neque de præcipua antiquitate; quippe quæ attingit incunabula Ecclesiæ, aut repeti saltem valet a quinto, & forsan quarto Æræ christianæ seculo. Num verò dubitandum de Festi præstantia? Propriè, rectâque per illud non memoria recolebatur consecrationis Vaticani templi, non Romanæ Cathedræ, non Primatus a Christo concessi Petro, affixique per hunc

(1) Tam celebris habebatur Statio hujus diei Vaticana, ut nec omissa aliquando sit ejus memoria in Kalendariis, & Martyrologiis ad usum exterarum etiam nationum compactis. Kalendarium Floriacense: vii. *Cal.* (Maji) *letania maior ad S. Petrum, & Marci Euangelistæ*. Martyrologium insignis ecclesiæ Autissiodorensis: vii. *Calend. Maji* ... *Romæ letania maior ad S. Petrum*. Apud to. vi. collect. Martenianæ veterum Scriptorum col. 650. & 700.

(2) Minorum litaniarum, seu Rogationum meta variavit, quemadmodum observavimus Par. II. Lucubrat. sect. x. §. xiii.

(3) In mss. Diurnis, aliisque Commentariis Viri, cujus laudavi fidem pag. 8. *addendorum* &c. suppositorum calci cit. Lucubrationis, non uno loco memoratur hic usus. Ita certè in Diurnis ad annum 1726. d. 25. Aprilis feria quinta. *Entrando li Curati si cantò dagl' Intonatori per due volte* S. Petre *con la sua replica* juxta solitum, *e poi* cum silentio *andarono a fermarsi vicino alla Confessione* &c. Describit author ibi ritus supplicationis S. Marci.

(4) Par usus in litania minori; at inductus per quamdam imitationem consuetudinum majoris, sicut conjiciam in opere de Hierarchia &c.

(5) Relege dicta num. 11.

hunc Romano Episcopatui, ut aliquibus placitum; sed memoria faustissimi *Adventus Principis Apostolorum in Urbem*, qui horum omnium, ceterorumque Romæ Christianæ (1) privilegiorum initium, radix, fons, caussa jure appellari, haberique debeat. Magnum, atque præclarum decus diei xxv. Aprilis! Quod propterea meritò, quum primùm refulsit, cœptum verosimiliter celebrari pompa maxima, nec inde umquam penitus perire permissum. En perpaucis contractam sententiam meam. En Παρέργον, seu *Appendicem* Lucubrationi novam, ad cujus amussim pendi, reformarique volo, siquid minùs perspicuè, minùs exactè ibi protuli de tanta sollemnitate. Faxit Deus, quæcumque tum illic *investigata*, tum *enarrata* hìc a me sunt, cedant in Beatissimi Petri gloriam, & cultum, quibus amplificandis, fovendisque filius ipse Romanæ Ecclesiæ, & Romanæ Urbis civis ultimus, donec spiritus infirmos reget artus, adlaborabo, aliosque, ut in id viribus omnibus mecum incumbant, urgere non desinam. Quod hæc potissimùm decet tempora, quæ primi illius Vicarii Jesu Christi Successorem venerantur hujusce etiam laboris splendida nobis exempla (2) suggerentem.

---

(1) Quæ de Petro memorantur in textu Missæ codicis Veronensis (nedum observata jam ad numerum LI. circa titulum, nunc iterum percurrenda) talem de objecto Festi ideam, qualem hìc damus, excitant, confirmantque. Memoratur enim ibi Petri *dignitas ubique gloriosa*, ac *potestas in omnem locum* div næ *dominationis*, in quo facile est, *Primatum*, Maximumve Sacerdotium agnoscere: memoratur *doctrina*, quæ certè *Cathedram* signat: memorantur *merita*, ex quibus præcipuum Romæ, ejusque Pontificibus munimen, ac robur: memorantur *Basilica*, & tanti Principis *Reliquiæ*, nempe mors ejus, & Vaticana Confessio, per quas *perpetuitas* exprimitur *Romani supremi Episcopatus*, *centrum unitatis catholicæ* in Urbe collocatum, *populorum confluxus* ad illud &c.

(2) Vide Constitutionem SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV. incipientem, *Ad sepulchra Apostolorum*, datamque apud S. M. majorem IX. Kal. Decemb. A. D. MDCCXLI., qua decernitur, ut agendæ in Urbe Servorum Dei Beatificationes, & Canonizationes, nonnisi ad Confessionem S. Petri, agantur.

EXPLICIT ENARRATIO.

Pag. 27. *lin.* 2. prænunciata *lege* pronunciata
Pag. 36. *lin. penult.* Viminialis *lege* Viminalis

CATALOGUS
CASTIGANDORUM, & SUPPLENDORUM
In Lucubratione De ritu dandi Presbyterium &c.

LECTORI

